





MR BONNIER
DE·LA·MOSSON











Landi (Geneal.)

Arms of Bonnier de la Mosson

Sciences Esca Philos

BASSIANI LANDI PLA-CENTINI PHILOSOPHI ET MEDICI OPVSCVLA.





PATAVII.
Apud Simonem Galignanum,
M D LII.

Γέῤῥου τοῦ Κορτωναίου.

Βίβλον ὃ συμφερτὴν σπουδαίοις τήνδε πονῆσαι
Βασσιανός, τέκμωρ ὤπασεν ἐσσομένων,
Τοῖς γὰρ ἀπαιδεύτοις, φθονερὸν κῆρ οἷς ἐμαράνθη,
Πᾶσι νέμειν νοέει μισθὸν ὀφειλόμενον,
Καὶ νόον ἐκτελέσειν μάλα ἔλπεται, οὕνεκα πάσσειν
Αὐτὸς ἔχει χλωρῆς φάρμακα τηκεδόνος.

PETRO FRANCI-
ſco Contareno Patritio Vene-
to, et Senatori optimo, atq;
philoſopho grauiſſimo,
Baſſianus Landus.
S. P. D.




SCRIPSIT olim Montanus Veronenſis, metaphraſim eorũ, quæ pertinent ad cõpoſitionẽ medicamentorum, pro qua, aduerſus calumniatores ſolebat dicere, materiam quidem ſe eſſe mutuatũ à Galeno, formam uero eſſe ſuam, & ideò meliorem partem iure optimo ſibi potuiſſe uendicare. Ego quoque con-

ſcripſi Ecphraſim totius phyſiologiæ, in qua non diffiteor rei inuentionē eſſe propriam Ariſtotelis, ſed ordinem, & methodum, & perſpicuitatem mihi uendico. Hanc ſanè partem, quæ potior eſt, qui poſſunt adinuenire, illi cō- munia dicunt propriè, quo nihil eſſe difficilius noſter Horatius putauit. Proinde deſino mirari, cur hoc noſtro ſæculo, tum medici, tū philoſophi id ipſum uel profitendo, uel ſcribendo, præſtare aut non posſint, aut nolint. Et ſi qui ſint, quos quidem perpaucos eſſe reor, hactenus mihi non licuit iudicare. Qui enim nihil ſcriptis commendarunt, ſed de alienis ſe conſtituunt perpetuò & libenter Iudices & criticos, nullam cenſuram aliorum ſubire poſſunt. Ego quidem, qui hoc fœliciter præſtare potue

rit, neminem alium cognoui, quam ex medicis, quorum scripta nunc extant, Montanum hominem Italum, ex Philosophis Iustum Velsium Germanum, qui & uiua uoce & scriptis hodie quoque idem præstat. Itaque ex totius Physiologiæ ecphrasi eam partem selegi, quæ spectat ad res successiuas, atque uolui sub tuo nomine in lucem exire, ut si comprobari ipsam intellexero, quæ longe difficillima est, quod reliqui fit, postea sinam apparere, quàm diligenter expoliuerim. At omnibus non cupio placere, sed illis duntaxat, qui sciunt ex arte & dicere, et scribere: præsertim tibi uni, cuius iudicium tanti facio, quanti æstimo, et admiror tuam uariarum rerum cognitionem, & in rebus gerendis mirã prudentiam. Accuratam uerò

illam elocutionis formam neglexi, sed solum artificium tentaui, siquidem ornari res ipsa negat contenta doceri. Vale, et me, ut facis, ama. Patauii. XIIII. Cal. Mart. M. D. LII.



ECPHRASIS DE MOTV.



ELISSVS Ex priscis Philosophis celebris vir sustulit motum: quoniam opinabatur, quod mouetur, id omne moueri, per inane spacium, non per plenum, ne corpora se se mutuò penetrarent. Sed quia inane nullum est, propterea neq; motum esse ratus, constituit vniuersum immobile. Cum autem sit euidentissimum vel ipsis sensibus motum esse in natura rerum, an sit disquirere superuacaneum mihi esse videtur. Quin ad præsens institutum magis pertinere arbitror, si ex perspecta tota eius natura, differentias atq; proprias affectiones inuenero. Itaq; motus est actus rei mobilis, qua mobilis est, à motore proficiscens,

ex termino opposito in terminum oppositum, vnus atq; cõtinuus, æquabilis aut inæquabilis, velox aut tardus, vt vicissitudo rerum naturalium sempiterno tempore conseruetur. Actum Aristo. nuncupat ἐνδελέχειαν, recentiores philosophi ἐνέργειαν, á Latinis apposité dicitur perennis motio, quoniam illa perẽnitas veram motus naturam significat. Cuius quidem terminus, in quem desinit, πάθος vocatur, hoc est passio. Motus ergo non est passio, vt aliqui falsò opinantur, quia terminus ille est forma. Forma autem neq; mouet, neq; mouetur, sed id duntaxat aut mouet, aut mouetur, quod est compositum ex materia simul & forma. Quod dixi de forma, idem iudicandum est de sola materia. Sed rectius πάθησιν appellassent, quæ est quædá itio & actus ad ipsum πάθος. Interdum tamen Galenus in lib. de symptomatum

differentiis πάθημα & πάθος sumit pro ipsa motione & actu, non pro termino immobili, id quod Aristoteli minime placet. Siquidem de eius sententia motus sit ad passionem. Nam si motus esset passio, tunc motus esset ad motum. Constat igitur passionem esse terminum siue formam, in quam desinit motus. Itaque, quia motus est perennis motio ad passionem, necessarium est aliquod subiectum esse capax motionis & passionis: nam motus cieri non potest, nisi quippiam moueatur: nihil autem potest moueri, nisi præsente motu: motus præsens, est ipsa motio, siue ipsum moueri: motus enim atque motio sunt subiecto idem, sola ratione differunt: quandoquidem motus & motio ita distinguantur, vt passio & pati, actio & agere, albedo & albescere: nam moueri est no-

tius, quàm motus, quia quod mouetur, id videmus, motum non videmus: quod patitur ſimiliter videmus, at paſſionem non videmus. Quot igitur erunt ſubiecta genera, in quibus reperitur motus, & ex quibus eſt motus, & in quæ eſt pariter motus, totidem quoq; erunt ſpecies, ſiue differentiæ ipſius. Porrò ſubiecta genera plura quàm decem nec excogitari, nec conſtitui poſſunt, in quibus comperitur motus. Sed ex his decem ſummis rerum generibus non poteſt reperiri in pluribus, quàm in tribus, nimirum in Qualitate, in Quantitate, & in loco. Motus namq; in his tribus eſt, & ex his eſt, & in hæc tria terminatur: quia terminus motus eſt aut paſſio, aut locus: paſſio rurſus eſt, aut qualitas, aut quantitas. In reliquis ſubiectis rerum generibus, non eſt motus: propterea quòd in illis non reperitur

contrarium, motus autem eſt inter contraria. Quód nec in ſubſtantia reperiatur, neq; in relatione, neq; in actione, neq; in paſsione, neq; in tempore, ſed potius tempus in motu, neq; in ſitu, neq; in ipſo habere, his planiſsimè conuincitur argumentis. Non eſt quidem in ſubſtantia, quia ſubſtantiæ nihil eſt conrrarium, at motus eſt in contrariis. Sed contra dicat quis, in ſubſtantia ſunt priuantia, ergo ſunt contraria. Atqui duplex eſt priuatio, altera quidem generationis & ſubſtantiæ, qualis eſt priuatio formæ in materia, altera vero eſt motus, atque accidentium. Priuatio ſanè accidentium eſt vera contrarietas. Non in actione & paſsione, neque in motu, neque in mutatione: quoniam motus eſt actio, & paſsio, atque mutatio, paſsionem nunc intel-

ligi volo πάθησιν. Si igitur esset
in actione & passione, motio esset in
motione. Hoc ipsum pronunciatum po
test trifariam intelligi motionem esse mo
tionis, aut esse subiectum motionis, aut
esse terminum, à quo incipit, hoc est es
se ex motione, aut terminum, in quem
desinit, hoc est esse in motionem. Subie
ctum non est, quia subiectum, quando in
calescit, aut crescit, aut decrescit, aut lo-
co mouetur, tunc motio non est subie-
ctum calefactionis, aut incrementi, aut
decrementi, aut loci: sed est substantia
corporea, in qua est motus. Nec est ter-
minus, in quem desinit, hoc est in mo-
tionem: nec is, à quo incipit, hoc est ex
motione: quia sequeretur, vt idē simul
eodem tempore per se mutaretur in op
positos motus, vt sanatio est mutatio ex
morbo in sanitatem, quia motus est mu
tatio ex forma in formam: si autem sa-

natio in ſanitatem eodem tempore eſſet in motionem, neceſſarium foret eſſe nõ in ſanationem, ſed in ægrotationem, quia ita motus eſt inter contraria, vt generatio & interitus inter contradicentia, vt ens, non ens: eſt, nõ eſt: ergo idem ſimul eſſet ſanus & æger. Dixi per ſe, quia ex accidenti poteſt aliquid in oppoſitos motus cieri: poteſt enim quiſpiã ægrotare ſimul & currere & diſcere, ſed accidit ægrotanti currere, aut diſcere. Præterea ſi motionis eſſet motio, & generationis generatio, & mutationis mutatio, tunc ſequeretur, vt generationis eſſet in immenſum progresſio, quia generatio, quæ generatur, ex generatione eſt antecedente, & alia ſubinde ex alia, & alia infinitè ex alia: ergo nihil poterit per ſe generari, aut mutari, quia in infinito neq; primum, neq; ſecundum, neq; tertium eſt. Huc etiam perti

net, quòd quippiam eſſet multó an-
té, quàm ſit: nam ſi generatio gene-
ratur ex generatione, neceſſarium eſt
vt vna ſit poſterior & altera prior: po-
ſterior nondum eſt, quia quod fit, id nõ-
dum eſt, prior eſt, quia facta eſt, er-
go idem eſſet ſimul, & non eſſet. Ad
extremum efficeretur, vt quod genera-
tur, idem tunc interiret, cum genera-
tur, & viciſſim quod interit, id tunc
generetur, quando interit: hoc eſt ge-
neratio idem eſſet quod interitus, &
interitus quod generatio. Id quod li-
quidò conſtabit ex duabus poſitis &
cõſtitutis hypotheſibus, quarũ hæc pri-
ma eſt. Vnius atq; eiuſdem rei eſt ge-
neratio & interitus, atq; prorſus omnis
motus oppoſitus, pariter & illi aduerſa
quies: nam idem corpus, quod moue-
tur, poteſt etiam quieſcere, & quod ca-
leſcit, idem refrigerari. Altera vero

est,nihil potest generari, quod interdũ non intereat,& reciprocatur. Si ergo generatio hominis est mutatio ex semine in corpus sentiens,necessarium est vt generatio sit interitus,quia si huius generationis est generatio,non alia est quàm generatio cadaueris, quæ est interitus, siue corruptio viui corporis: ergo dũ generatur homo,interea corrumpitur, siue interit,& contrà. Itaq; motio non est motionis vt terminus à quo incipit,neq; vt terminus in quẽ desinit. Simili quoq; ratiõis modo nec est vt subiectum, siquidẽ in omni mutatione duo oporteat adesse, vnum quidem quod sit subiectũ,siue materia ex qua, vel inqua sit mutatio: ex qua,vt generatio & interitus,inqua,vt motus: alterum verò,quod sit subiectũ: ad quod sit mutatio vel ad formã,vel ad passionem,vel ad locum , & vtrunq; oportet esse diuersum vnum ab altero,

atq; adeo ab ipſa mutatione. Propterea
ego ſciſcitarer abs te, qualis materia ſub
ſit mutationi, ex qua, vel in qua, & in
quam ſit. Non profectò reſpondebis
eſſe mutationem, quia vterq; terminus
debet eſſe diuerſus à mutatione. Atqui
mutatio non eſt diuerſa à mutatione,
ergo mutatio non eſt ſubiectum muta-
tionis: ſed ſubiectum eſt vel corpus ſim
plex, vel cōpoſitū, vel anima: & vt muta
tio ad diſciplinam non eſt diſciplina,
quia nemo ante ſcit, quàm diſcat, ſed
poſtquam didicit, ſic generationis non
eſt generatio. Non enim qui eſt in via,
idem eſt in termino, ad quem ducit via:
& qui proficiſcitur Thebas, nōdum eſt
Thebis. Quid quæris? ſi motionis al-
tera motio eſſet materia, profectò erit
neceſſarium alterationis eſſe vel altera
tionem, vel accretionem, vel lationem.
Alteratio quidem eſſe non poteſt, quo

niam, vt nuper probabam, nec generationis eſt generatio, neq; vllius mutationis eſt mutatio: neq; accretio, neq; latio, quia quod alterabitur, idem etiam feretur & augeſcet: proinde alteratio erit incrementum, aut latio. Poteſt tamen mutatio eſſe ex accidenti mutationis, vt ſubiecti, quandoquidem poſsit Socrates, qui ſanatur, currere pariter & diſcere, ideo accidit ſanationi currere & diſcere, quia accidit Socrati: ſed hæc motio eſt valde aliena à ſcientia de motu. Quòd autem non ſit in reliquis generibus, notius eſt, quàm vt à me demonſtretur. Relinquitur ergo, vt ſit nec in pluribus, neq; in paucioribus, quàm in tribus, tum in genere qualitatis, tum in genere quantitatis, tum in loco: non quia moueatur qualitas, aut quantitas, aut locus, quia termini ſunt quædam

formæ, proinde immobiles : sed propterea in his statuitur, quòd ex qualitate in qualitatem, aut ex quantitate in quantitatem, aut ex loco in locum fiat motio, hoc est ex forma in formam, siue ex passione in passionem, vel locum. Cum igitur in tribus generibus duntaxat motus reperiatur, illius tres erunt tantum species, siue differentiæ suis nominibus distinctæ. Itaque motus in qualitate dicitur ἀλλοίωσις, à nostris alteratio vertitur, quod quidem nomen est commune omnibus motibus, qui fiunt in qualitate, & in qualitatem. Plato tamen accommodauit plerunque ad generationem & interitum, nisi metaphoricè transtulerit ad illud genus alterationis, quæ est mutatio qualitatis in substantia, quæ nuncupatur differentia siue qualitas ὀσιώδης, hoc

eſt eſſentialis: quandoquidem conſti-
tuat eſſentiam rei, à qua non poteſt ſe-
iungi ſine ipſius interitu, vt nec ca-
lor ab igne, nec frigus à glacie. Sed al-
teratio eſt duplex, vna quidem eſt mu-
tatio ex forma contraria in formam:
formam in præſentia volo intelligi paſ-
ſionem, vel locum: paſſionem quidem
tam in qualitate, quàm in quantita-
te: verbi cauſa ſanatio eſt motus, ſiue
mutatio ex ægritudine in ſanitatem.
Sané ægritudo & ſanitas ſunt formę,
& termini ſanationis, qui quidem
termini ſunt immobiles, non enim
mouentur, ſed generantur, quia ſu-
bitò fiunt, & hæc generatio non eſt
ἁπλῶς γένεσις, ſed eſt vel quædam ge-
neratio, vel alicuius generatio, quia eſt
generatio accidentis: nam generatio
ſimplex eſt mutatio ſubſtantiæ. Alte-
ra verò eſt eiuſdem formæ, qualis eſt

mutatio ex minus albo, vel minus cali-
do, in magis album, vel magis calidum.
Est quocꝫ id postremum genus alteratio
nis inter contraria, quia minus album ni
gri naturam, quemadmodum minus ca
lidum frigidi obtinet, vt mutatio tepi-
dæ aquę ad gelidam, obtinet naturam
calidæ, & ad feruidam subit naturam
gelidæ: proinde nominatur ab Aristot.
5. phy. ϖρ̃ ἀλλοίωσις, hoc est quædã al-
teratio, siue alteratio quadam ex par-
te. Iam verò motus in quantitate, vt
vnum commune nomen desideratur, (est
enim duplex αὔξησις καὶ φθίσις, in cre-
mentum & decrementum) sic in loco
motus necꝫ proprium, necꝫ commune
nomen habet. Nam φορὰ, quæ à La-
tinis appellatur latio propriè & appo-
sitè, conuenit illis corporibus, quæ natu-
ra mouentur, & cum loco mouentur, tũ
nõ habent in sua potestate, vt quiescãt

nec quando quieſcunt in, illis ſitũ eſt, vt motũ ex ſe auſpicentur": cuiusmodi eſt motus illorũ corporum grauiũ & leuiũ, quæ ſunt inanimia. Proinde ob egeſta- tem ſermonis cum Græci, tum Latini φορὰ, hoc eſt latio, transfertur ad om- nia genera motuum, qui ſunt in loco, & cientur ad locum. Motus porrò, qui eſt in loco, duplex eſt genus, alterum commune, & alterum proprium. Com- mune eſt, quod pluribus in rebus ineſt, quàm cæteraq; genera motuum, & per plura vagatur genera: pluribus qui- dem in rebus, quoniam hæret & corpo- ribus caducis, tam ſimplicibus, quàm cõ poſitis, atq; adeo cœleſtibus, cœleſtia nã que in loco mouentur. Per plura vaga- tur genera, quoniam transfertur & ad accretionem, & ad imminutionem: nam accretio motus eſt, quo non tota mole, ſed partibus corpus mutat locum, vti

ſtirpes, quæ creſcentes occupant am-
pliorem locum humi adhæreſcentes:
imminutione accipiunt humiliorem &
minorem locum. Et ſi nec in accretio-
ne, neq; in imminutione mutatur locus
tota mole, tamen hic motus differt à mo
tu cœli, quia cœlum in eodem loco ſem-
per conuertitur, eundem perpetuò te-
nens locum, partibus per viciſſitudinem
ſubeuntibus. At verò motus proprius
eſt ille, quo corpus omnino, & tota ſua
mole mutat locum. Iccirco philoſophi
audito nomine motus, per antonomaſiā
intelligi volunt mutationem loci, quam
τὴν φορὰν Ariſtote. nuncupauit: quem-
admodum medici bilem ſine aliqua ad-
iunctione κατ᾽ ἐξοχὴν intelligunt flauā
Nec ſolum eſt communis, & propriu
verum etiam eſt prior omni motu, tu
natura, tum ratione, tum tempore. Pro
inde nemini debet mirum videri, ſi Ar
ſæpe

ſæpe lationem diuiſit in tres motus ſpecies, vnam propriam, & reliquas duas communes. Cæterum qualiacunque ſint genera motus, diuiſione hactenus inuenta, neceſſarium eſt, vt habeant rē mobilem ſibi ſubiectam: quia omnis motus eſt in re mobili, hoc eſt in eo, quod mouetur, vt calefactio eſt in ligno, non in termino à quo incipit, veluti in frigore, neq; in termino in quem deſinit, vt in calore, quia eſt forma & finis, finis autem eſt immobilis: proinde admonet Auer. cum eo non eſſe diſputandum, qui cogitat & contendit formam moueri, quemadmodum inter initia explanabam. At ſi in aliquo eſſet termino, veriſimilius eſt in termino ad quem tendit motus, eſſe, quàm in eo vnde fit: quia motus ſumit nomen à termino, i quē deſinit, vt motus in ens, denominatur generatio, quanquam incipit à

non ente:& motus in non ens vocatur in
teritus,quamuis incipiat ab ente:& mo
tus in calorem desinens ,nominatur cale
factio:quanquam, incipit à frigore.Mo
tus ergo est in eo ,quod mouetur, quia
est sua materia,in qua est: id quod osten
dit breuis & propria definitio tradita
ab Arist.3.phy. definit enim motum esse
Endelechiã rei mobilis,vt mobilis est:
ergo motus est in eo,quod mouetur:&
quia res mobilis patitur & recipit mo-
tum, ideo motus sæpe vocatur passio.
Sed quo ad res mouetur,& motus vtro
que termino ita concluditur, vt partim
sit in termino, à quo recedit, & partim
in termino ,ad quem accedit, sed nullo
adhuc perfectè potitur, interea motus
est : quandiu enim motus fit, tandiu
est,vbi desinit fieri, continuò etiam de-
sinit esse : perpetuò fluit, & nunquam
permanet in re mobili,qua mobilis est:

res namque, in qua est motus, nobis indicat eius naturam: cuius rei illud est argumentum, quòd talem motum consueuimus appellare, qualis est res mobilis, qua mobilis est. Ne longius abieris, res mobilis censetur esse, quia potest moueri aut per se, aut ex accidenti, aut per partem. Per se ea est, quæ habet in se motum, & motus à nullo pendet. Ex accidenti verò, aut perpetuò, aut non perpetuò: perpetuò quidem, quia nunquam per se mouetur: quandoquidem semper alteri hęreat, vt omnia accidentia, vt affectiones, vt anima: non perpetuò quidem, quia aliquando mouetur per se, vt nauta mouetur quidem per accidens, sed absolutus & separatus à nauigio, per se mouetur. Per partem mobilis res, potest referri ad mobilem ex accidenti non perpetuò: vt dicimus Socratem male valere, quia oculus

duntaxat male ualet, aut eundem moueri, quia mouet manum, vel pedem, vel aliam partem corporis. Addidi non perpetuó, quia pars separata á suo toto, nihil vetat quin per se moueatur. Itaque quemadmodum res mobilis variat, ita motum in ipsa cieri tot modis iudicamus. Cieri autem ab aliquo necessarium est principio: quoniam quod mouetur, id omne moueri ab aliquo motore oportet, quem sæpissime Philosophi agentem nominauerunt: ideò huc relatus ipse motus, actio appellatur, ab agente nomen deducens, quemadmodum à re mobili, in qua est, & recipitur, dicebam modò appellari passionem: vtraque enim cum actio, tum passio motus est. Consequitur nãq; naturam motoris pariter, atq; mobilis, vt triplici modo mobile simul & motor variant, itaquoq; motum variare comperimus. Ná

motor,qui eſt author motus,aut mouet per ſe, aut ex accidenti,aut per partem: vt medicus medetur alteri per ſe : Ex accidenti,vt medicus ſibi medetur per accidens,quia accidit medico eſſe ęgro, nullus enim agens arte in ſe agit , niſi per accidens,vt muſicus medetur, muſicus ædificat ex accidenti, quia accidit medico eſſe muſico, pariter & ædificatori eſſe muſico.Per partem mouet,vt dicere conſueuimus,Socratem ferire, quia ſola manu ferit, & arborem eſſe in aqua, quia radix eius pars,hęret aquæ.Hæc ſane multiplex motoris natura, transfertur in naturam motus : qualis enim eſt motor,talem efficit motum.Porrò motor quia eſt principium motus, ideo erit rei mobilis in qua eſt motus,aut internum, aut externum. Internum eſt ciens motus primò & per ſe, non ex accidenti, propterea efficit motum naturalem:

quia corpus mobile eò mouetur, quò suũ principiũ inclinat & propẽdet, quod dicitur natura. Natura aũt, quę est principiũ eius inclinatiõis, & propẽsionis, à nõ nullis vocatur grauitas & leuitas: propensio verò dicitur ῥοπή. De illorum igitur sententia propensio sequitur grauitatem & leuitatem, grauitas & leuitas formam, per quam corpus mobile & est, & exit in opus. Sed vtrum grauitas & leuitas sit natura, nunc non facio meam litem: satis est mihi habere pro comperto, de sententia Aristotelis, motum naturalem cieri à motore, siue à principio interno. Externum principium, quod eò mouet corpus mobile, quò principium internum non inclinat, motum violentum efficit: vt motus corporis leuis deorsum, & grauis sursum, violentus est: motus igitur violentus est, quò pellitur corpus mobile à motore externo, & illo qui

dem,aut præſente,aut abſente:præſente quidem,aut vehente,aut trahente: abſente verò, quia abeſt à toto motu,& adeſt initio motus, qualis eſt motus ille, qui dicitur iactus à Latinis,à græcis ῥίψις. Iactum porrò abſente motore produci opinatur Plato per antiperiſtaſim, hoc eſt ex appetitu quodam naturali aëris,occupandi ſubitò illum locum,quem antea implebat corpus proiectum, idq; ne detur locus vacuus corpore: aër enim, qui circumſtat & obſidet iactam ſagittam,aut aliud miſsile, dum occupat locum deſtitutum corpore, interea pellit ſagittam. Itaq; efficitur iactus ex permutatione locorum ſecundum dogma Platonis: id tamen Ariſtoteli non vſq; quaq; probatur: Is enim in phyſicis cauſatur pulſum, quem nominat ὤθησιν: Motor namq; verbi cauſa manus, primò pellit aërem, deinde pars aëris pulſa, &

missile compellit simul & sibi proximũ aërem, subinde alia pars aliam vicinam, quoad potest reddere aptam ad mouendum, vbi non potest aptam reddere, tunc pulsus continuò cessat. Sed ille pulsus, est motus lõgè celerior, quàm motus naturalis, corporis iacti, vt aër ocyus pellitur deorsum, quàm moueatur corpus graue: si esset tardior, iactum corpus nõ pelleretur. Proinde Empedocles opinatus est terram esse immobilem, ex conuersione cœli, eò sanè, quòd sit ipsa longè velocior, quàm motus terræ deorsum. Argumento nobis est chalcydryon plenum aqua, ex cuius orificio patente & lato, circá caput celerrime rotato, nihil aquæ funditur, sed stat immobilis: propterea quód illa rotatio est multó velocior, quàm aquæ motus naturalis deorsum. Non nulli recentiores Philosophi, vt osten

derent etiam ipsis haud esse præclusam viam philosophandi, nec Platoni, nec Aristoteli assentiuntur: propterea comminiscuntur aliam causam: opinantur enim quandam qualitatem impressam à motore ipsis missilibus, occultam, & fugientem sensus, iaculationem perficere. An hæc opinio etiam sit verisimilis, docti viri iudicabunt: equidẽ ipsam validis argumentis euerti (vt reor) in eo opere, quod inscripsi de scholasticis cõtrouersiis. Sed vt eò redeat, vnde deflexit nostra oratio. Nemini dubiũ est, quin motor sit principiũ motus in re mobili, quà mobilis est. Motus autem, qui cietur á finito motore, itidem finitus est, propterea finibus & terminis concluditur: est ergo motus itio quædam, siue mutatio ex termino in terminũ, quemadmodũ nominis etymon planissime significat: nuncupatur enim

à Græcis physiologis μεταβολὴ παρὰ τὸ βάλλειν μετὰ τόδε εἰς τόδε, quòd fiat transitus ex hoc in illud, vt Arist. grammaticorum sępissime præcepta consectatus in physicis interpretatur. Mutatio tamen latius patet, quàm motus, quoniã omnis quidem motus est mutatio, sed non omnis mutatio est motus: quia generatio, & interitus est mutatio, motus verò differt à generatione & interitu, quemadmodum ex natura terminorum & finium, quibus clauduntur, manifestò apparet. Nam termini sunt oppositi, alioqui nullus citaretur motus, sed cuncta quiescerent, illa enim diuersa natura est opifex motus. Possunt autem opponi, aut ἐναντίως, hoc est contrariè, aut ἀντιφατικῶς, hoc est contradictoriè, veluti affirmatio & negatio Contrariè quidem, vt sanatio est motus ex ægritudine in sanitatem: nam

ægritudo eſt contraria ſanitatis. Simili quoque modo ægrotatio eſt mutatio ex ſanitate in ægritudinem. Motus ergo proficiſcens ope motoris, in re mobili, qua mobilis eſt, à termino contrario fertur in terminum contrarium. Sed ad eſſentiam contrarietatis, magis concurrit terminus contrarius, in quem deſinit motus, quám terminus pariter contrarius, a quo inchoat motus: propterea quòd terminus, à quo proficiſcitur motus, eſt liberatio contrarietatis, terminus veró, ad quem contendit, eſt aſſumptio contrarietatis: per illum abit á contrarietate, per hunc ſubit contrarietatem: eſt igitur motus, ex ſubiecto contrario, in contrarium. Contradictorie verò aduerſantur, vbi fit tranſitus, ex ſubiecto, ſiue ex affirmatione, in non ſubiectum, ſiue negationem, qualis eſt in-

teritus: aut ex non ſubiecto, ſiue ex negatione in ſubiectum, ſiue affirmationem, cuiuſmodi eſt generatio. Porrò interitus, atq; generatio non eſt motus, ſed rectius nominatur mutatio, ſiquidem non ſit ex contrario, quin potius ex non contrario: quia eſt ex negatione in affirmationem, vt ex non ente in ens, & viciſſim, ex affirmatione in negationem, vt ex ente, in non ens. Sed affirmantia, ſiue aientia, & negantia, vt Cicero quoq; teſtatur, non ſunt contraria, ſed contradicentia. Motus ergo, & mutatio, ratione terminorum differunt. Et quemadmodum motus, clauditur terminis contrariis, ita etiam ratione terminorum, alter alteri contrarius eſt: nam illi ſunt motus contrarii, qui cientur ex contrariis in contraria: cuiusmodi ſunt ſanatio & ægrotatio, cuius modi ſcientia, quæ di

citur inuentio,& error ex ſe: cuiuſmodi ſcientia ab alio accepta, & error per alium: cuiuſmodi locus ſuperus, & inferus, ratione longitudinis, aut dexter & ſiniſter, meritò latitudinis, aut poſterior, & anterior, ratione altitudinis. Ex contrariis autem, vel ſunt exactè contrarii, vel quodam modo. Exactè contrarii illi planè ſunt, qui cientur ex contrariis extremis, in contraria extrema. Quodam modo contrarii iudicantur illi eſſe, qui ſunt ex mediis contrariis: nam medium comparatum cum alterutro extremorum, rationem obtinet alterius extremi. Non ſolũ motus, ſed propriè & primum motus, qui fiunt in loco, aduerſantur ratione terminorum (vt explanaui) qui ſunt oppoſiti, ſed etiam ratione modi. Nam omnis motus, eſt aut violentus, aut naturalis. At verò interitus, aduerſatur

generationi sola ratione terminorum, non modi: propterea quod interitus, est mutatio ex ente: generatio ex non ente, ens non ens, est, non est, sunt termini oppositi, & contradicunt. Sed interitus aduersatur teritui, & generatio generationi, non ratione terminorum, sed modi duntaxat: quoniam vtraque mutatio, est aut violenta, aut naturalis. Nam interitus natutalis, aduersatur interitui prȩter naturam, pariter & generationi, sed alia ratione, nempè termminorum. Et quemadmodum motus, atque mutationes aduersantur, aut ratione terminorum, aut modi, ita quoque iudicari volo de quiete, de qua suo loco breuiter dicetur. Quin potius illud disquiramus, quod ad dissolutionē definitionis pertinet, an in omni motu sit duplex cōtrarietas. Nonnulli quidem, qui sibi totum nomen vendicāt in philosophia,

opinantur in latione tantùm esse dupli cem contrarietatem, alteram sanè, quæ sumitur à terminis contrariis, alteram autem, quæ sumitur à modo. A` terminis contrariis, vt latio à supero ad inferum locum, est contraria lationi, quæ est ab infero ad superum. A modo, vt latio ignis sursum, est contraria lationi eiusdem deorsum, quia illa quidem est naturalis, hæc verò est præter naturam. Huiusmodi autem differentias (natura, & præter naturam) non inueniri affirmant in aliis motibus, neq; in alteratione, neq; in accretione, neq; in imminutione, neq; in generatione, neq; in interitu. Sanatio enim non diuiditur in naturalem, aut præter naturam: nec incrementum est aut natura, aut præter naturam: nec generatio, neq; interitus diducitur in naturalem, aut præter naturam: quemadmodum nec senium, nec

morbus, recipit diuisionem in naturalem & præter naturam. Sed hi perinsignes scilicet philosophi (meo quidem iudicio) parum attendunt, quid enuncient. Nam de sententia Aristotelis, ego arbitror omnem motum mutationem'q; esse capacem harum differentiarum: siquidem latio, alteratio, accretio, imminutio, posit esse motus violentus, & naturalis: pariter & interitus, atq; generatio esse violenta mutatio, & naturalis. Sed violentum idem est, quod præter naturam: id autem quod est prę ter naturam, opponitur ei quod est secundum naturam. Porrò natura est principium mutationis, in re mutabili, in qua inest. Violenta autem, siue vis, est principium mouendi atq; mutandi rem, extra quam est, vt docet Aristo. libro tertio de vita & moribus. Generatio igitur, & interitus, & alteratio, &
accre

accretio, & imminutio, & latio est mutatio, atque motus naturalis, vbi seruatur ordo à natura præscriptus, & tempus definitũ: & quia naturalis est, ideo fatalis quoque iure optimo nominata est hæc mutatio à Peripateticis: quandoquidem fatũ nihil sit aliud, quàm series causarum, & ordo à natura præfinitus: dicitur ergo violenta mutatio, quando allata ui externa, ordo naturæ turbatur, ac peruertitur: vt accretio frumenti in hortis Adonidis fuit violenta, & præter naturam: propterea quód irrigatum calida, ante tempus à natura præscriptum, & intempestiue increuit: & sæpe pili ex vi oleorum calidorum, & arte adhibita, præter naturam, pręter quam fatum succrescunt. Quid quæris? solutio, morbi in diebus decretoriis natura est, in aliis diebus non decretoriis est violenta, & præter naturã. Nisi igitur tur-

betur ordo naturæ, definito tẽpore mo
tor citabit motum naturalem, à termi-
no ad terminum, atq; sine intermissione
continuabit, vnumque & perpetuum
producet. Nam motus à termino con-
trario, ad terminum contrarium, sine
intermissione productus, efficitur vnus
& continuus. Ad essentiã constituen-
dã vnitatis in motu, multa concurrunt,
& vt partes sint simul, non seorsum, & vt
extrema ordine cohæreant per suũ in-
termediũ, & vt se se tangant, atq; conti
nuæ sint. Porrò intermedium est, id
quò res prius peruenit, quàm ad id, ad
quod vltimò mutatur, quæ naturà con-
tinenter mouetur: tria enim ad motum
concurrunt, & duo extrema, & vnum in
termedium, quia motus, vt antea expo-
nebam, est mutatio ab extremo contra-
rio, ad alterum extremum contrarium.
Ad extrema verò non fit transitus sine

intermedio. Continenter autem mo-
ueri ſecundum naturam, eſt ſine partiũ
rei intermiſsione, aut nulla, aut per exi-
gua, ſiue momentanea (per exiguum
enim pro nihilo ducitur) mutari ad ex-
tremum. At continenter moueri ſine
temporis intermiſsione, non eſt moueri
continenter ſecundum naturam: quia in
continuatione motus ſecundum natu-
ram, conſideratur ordo partium rei.
Nam mouere digitos ab extremis fi-
dibus, ad, extremas, prætermiſsis inter-
mediis, ſine intermiſsione temporis, non
eſt continenter ſecundum naturam mo-
ueri: continuatio enim motus, ſimpli-
citer æſtimatur ad temporis continua-
tionem. At continuatio motus ſecun-
dum naturam, æſtimatur ad continua-
tionem rei. Proinde intermedium im-
peditum, & interpellatũ à ſuo vltimo,
non eſt ſuum intermedium, vt la-

pis ſi prius deſcenderet, quàm perue-
niret ad locum ſuperiorem, loci ſupe-
rioris, non eſt intermediũ : quia inter
pellatur à continuatione cũ vltimo. Ex-
trema autem, & vltima in motu, vt di-
xi, ſunt planè contraria : contraria
ſunt, quæ poſita ſub eodem genere plu
rimum diſtant: diſtantia eſt menſura ex
tremorum. In motu loci menſura eſt li-
nea recta, quia finita eſt, atque bre-
uisſima, quæ quidem proprietas adiu
dicatur menſuræ. In alteratione men-
ſura eſt qualitatis intentio, & remiſ-
ſio. In accretione, & imminutione,
eſt quantitas perfecta & imperfecta.
Itaque motus, qui eſt vnus, idem
etiam eſt continuus, vicisſimq́; qui
eſt continuus, is quoque eſt vnus.
Porrò continuum id eſſe definimus, cu
ius extrema ſunt ſimul, hærent, tangunt,
pariter & tanguntur, ita quidem,

vt in vnum extremum tantum coale-
ſcant,& ex duobus vnũ fiat extremũ: vt
linea eſt cõtinua,quia extrema fiunt vnũ.
Vno enim puncto partes eius copulãtur,
& cõtinuantur. Motus autẽ dicitur eſſe
vnus, aut genere ſummo, aut ſpecie, aut
numero. Genere quidem,vt oẽs lationes
ſunt vnus motus,oẽs alterationes, vnus
motus. Oẽs accretiões ſunt vnus motus.
Specie veró,aut diuidua,aut indiuidua.
Species ſanè diuidua eſt,quę partim eſt
genus,partim eſt ſpecies,vt coloratio eſt
ſpecies diuidua dealbatiõis, & denigra
tiõis: iccirco vnus ſpecie motus eſt,in quã
vnus nõ ſimpliciter,ſed quodã mõ: nec ſo
lũ multi motus vnus ſpecie dicuntur,ſed
etiã motus,qui eſt mutatio ad ſpeciẽ di-
uiduam, dicitur vnus quodam modo,vt
μάθησις, hoc eſt actus diſcẽdi eſt mutatio
ad ſcientiam,quia ſcientia eſt ſpecies di-
uidua relata ad ὑπόληψιν hoc eſt cogni

tionem,quia cognitio est genus opinio nis,& scientiæ:relata verò ad inferiores habitus,ad philosophiam,ad arithmeticam, est genus. Dealbationes verò omnes sunt motus vnus specie indiuidua simpliciter: quia est motus ad speciem vnam indiuiduam. Simili quoque rationis modo, denigrationes sunt motus vnus simpliciter specie indiuidua. Numero vnus, est vnius numero formæ, vt hæc dealbatio, & hæc denigratio. Vt autem sit numero vnus simpliciter, tria desiderat, in primis mobile vnum numero, & per se, non ex accidẽti: deinde tempus vnum numero: ad extremum formam vnam numero, siue id genus, in quo est, vel qualitatem, vel quãtitatem, vel locum. Mobile quidem desiderat vnum numero, & per se, quia vnum specie potest esse, & motus tamen erunt diuersi, vt Socrates, &

Plato ſunt ſubiectum vnum ſpecie, quandoquidem ſint homines : ſed motus qui fiunt in ipſis, non ſunt vnus numero. Addidi per ſe, quia tametſi Coriſcus albus eſt vnus, tamen motus non erit vnus numero, & per ſe, niſi ex accidenti : nam quà Coriſcus eſt, deambulat, quà verò albus, mutatur ex nigredine in albedinem. Dealbatio & deambulatio non ſunt motus vnus per ſe, ſed ex accidenti vnus, quia accidit Coriſco deambulanti albeſcere, & quia deambulatio eſt vna numero, ideo accidit vt vterque motus qui diuerſus eſt, vnus ſit. Tempus verò requirit, quoniam poteſt Socrates mutari ad formã vnã numero, verbi cauſa ad albedinem, quia poteſt albeſcere, ſed temporis interuallo, & non continuato tempore, illa quidem dealbatio, quæ fit diuerſis temporibus, non eſt vna

numero: quia tempus non est continuatum, & vnum numero. Nam motus veluti dealbatio, quæ interiit, & tempus quod præteriit, non redit vnum numero, sed specie tantum: vt enim corpora æterna eadem numero, ita genita & interitura eadem specie, non numero reuertuntur: motus verò tam æternus, quàm genitus & interiturus, non redit idem numero, sed specie duntaxat. Proinde, conuersio cœlestis hodierna, & hesterna, non est eadem numero, sed specie tantum: quia motus, qui semel interiit, idem numero non reuertitur, sed specie: siquidem tempus, quod redit, non idem numero, sed specie duntaxat redire censeatur. Hoc tamen interest inter motus genitos, & conuersiones cœlestes, quòd ex omnibus conuersionibus fit vnus numero motus: quoniam

inter vnam et aliam non cadit tempo
ris interuallum: atque adeo mobile ni
mirum cœlum vnum numero est, et
eadem est species lationis. Formam
quoque requirit vnam numero, quia
si Socrates mutetur ex ophthalmia in
sanitatem, non est vnus numero motus:
propterea quòd sanitas est vna specie,
non numero: nam sanitas est forma
communis, quæ habet infra se alias: vt
enim est multiplex temperamentum,
itaquoque est multiplex forma sanita-
tis. His ergo legibus obstricta est con
tinuatio motus, à quibus solutus, illicò
desinit esse continuus. Exemplis ipsas
illustremus, siquis currendo, febricitet,
profectò eius motus non est conti-
nuus: quoniam non est vnus: desinit
autem esse vnus, quia forma non est vna.
Nā cursus est latio, latiōis verò forma est
locus: et febricitatio est alteratio, cuius

forma eſt qualitas. Itaq; etſi mobile eſt vnum, & tempus vnum, quia non intermittit: nihilominus motus non eſt continuus. Rurſum multi currentes in equis, qui inuicem & per manus ſibi lampada in certaminibus græcis tradebant, non fuit illorum motus cõtinuus, quoniam deſiderabatur ſingularitas, ſiue vnitas mobilis, quoniam multi fuerunt curſores, attamen vna fuit lationis forma, nempe locus vnus, & tempus vnum minime intermittens. Huiuſmodi ergo motus non ſunt continui, ſed potius cohærentes, & deinceps ſequentes: quoniam habent tempus continuũ: proinde his ſatis eſt continuatio temporis. Cum igitur hac lege fiat vnus, & continuus, tunc efficitur, vt neque ex indiuiduis partibus, & terminis motus cõponatur, neque in indiuiduas diuidatur: ſed ex diuiduis coaleſcat motibus,

& dissoluatur itidem in diuiduos. Nam motus sequitur compositionem simul & diuisionem magnitudinis, ac tempo ris: & vicissim magnitudo, & tempus accõmodatur ad diuisionem, atq; cõposi tionem motionis: Vnà enim conspirant, & proportione quadam mutuò sibi respondẽt. Ec quis dubitat, si aliquod cor pus mobile æqualis celeritatis, hora vna confecerit centũ stadia, quin idẽ sit hora dimidiata confecturum quinquagin ta? non sanè ob aliã causam, quàm quòd motus, tẽpus, & magnitudo inuicẽ cõspi rant. Vt enim puncta in magnitudine, & instantia, quæ dicũtur τὰ νῦν in tẽpo re, se habent, ita quoq; momenta, siue vt recepto scholarũ vocabulo vtar, mutamenta in motu, quæ nuncupantur ab Aristo. κινήματα, puncta quidẽ sunt termini magnitudinis, at non sunt magnitudo, nec ipsa cõponitur ex illis: sed

ex magnitudinibus. Simili quoq; rationis modo vt instantia temporis, ita momenta sunt termini motus: ex his neq; motus, neq; tēpus componitur, sed ille ex motibus, hoc verò ex temporibus consurgit. Cæterum motus vnus atq; continuus, idē pariter & perfectus est: quia vnum est quoddam totū, & perfectū. Sed ille est verè perfectus, qui illuc euadit, quò promouere natura instituit: promouetur autē motus, aut æquabilis, aut inæquabilis, aut velox, aut tardus: quamuis sit continuus. Aequabilis est, qui totus est sibi similis, & obtinet partes cunctas inter se se congruentes: idcirco assimilatur lineæ recte, quæ videtur similis vndiquaq;, & vna: inæquabilis assimilatur tortuosæ & anfractuosę, quę videtur esse cōposita ex pluribus. Porrò causa ęquabilitatis & inęquabilitatis est duplex, aut est id, in quo cietur

motus, aut modus. Sanè id, in quo est motus, est aut magnitudo, aut qualitas, aut locus: ideo in æquabili spacio latio ē motus æquabilis, vti in linea recta: in æquabili qualitate intenditur, & remittitur æquabilis alteratio: in æquabili magnitudine extēditur æquabilis accretio, & imminutio. Modus aūt est celeritas & tarditas: ex similitudine enim celeritatis, ac tarditatis, motus cietur æquabilis, ex dissimilitudine inæquabilis: ex quo fit maximè ꝑspicuū celeritatē atq; tarditatem nō esse speciē motus neq; differētiam: quandoquidē sit in omni genere & specie motus. Nā mas & fœmina, quia est in omni fermè animalis genere, ideo nō est eius species, nec cōstituit speciē animalis, sed est accidens. Simili quoq; rōnis modo celeritas & tarditas reperitur in omni specie motus: naturalis enim iter initia tardus est, in fine accelerat. Rursū

violentus principiò velox eſt, poſtremò tardus & lentus. Nõ eſt ergo neq; ſpecies, neq; differentia ipſius motus, ſed rectius nominatur accidens: grauitas pariter & leuitas, ſunt accidentia non ſpecies, nec differentiæ motus, & in eadem ſpecie minime differunt: vt terræ maior grauitas non differt à minore grauitate eiusdem. Idem iudicandũ de maiore, & minore leuitate ignis, eſſe arbitror. Et ſi tot cauſę concurrunt æquabilitatis & inæquabilitatis, proxima tamen & interior eſt, id in quo cietur motus. Sed procul remota eſt ſimilitudo, & diſſimilitudo celeritatis, & tarditatis. At roget quis, an omnis motus poſſit eſſe æquabilis, & inæquabilis? Equidem opinor omnem motum, infra globũ lunæ, poſſe eſſe æquabilem & inæquabilem, quia motio corporis cœleſtis eſt perpetuò æquabilis, quia concitatur in

magnitudine æquabili. Cæterũ Auerroes in quintum Physicorũ Aristotelis, contendit motũ ea ratione, quà motus est, æquabilem, aut inæquabilẽ esse, ratione verò, quà est motus corporis, non omnis motus est æquabilis, aut inæquabilis, sed aliquis, quoniam conuersio cœli, est æquabilis tantũ. Iã verò motus velox est, quo mobile corpus æquali tẽpore conficit maius spacium, aut minori tempore itidem maius spacium, aut minori æquale. Propterea omne corpus mobile obnoxiũ generationi & interitui, mouetur in omni tempore velocius, aut tardius: dixi obnoxium generationi, quia corpus cœleste, neq; tardiori, neq; celeriori motu pōt cieri: subiunxi præterea, in omni tempore, quia motus nunquam seiungitur à tempore, sed semper cietur in tẽpore, vt fuit demõstratum in quarto Physicorum ab Ari-

ſtotele. Et quemadmodum ex celeri-tatis, & tarditatis incremento diuiditur tempus, ita quoque magnitudo, vt liquido conſtat ex definitione velocioris & tardioris corporis acti per aliquam magnitudinē. Ex deſcriptione velocis motus facillime dignoſcitur tardus, quia contrariorū eſt par ratio & definitio: tardus igitur motus eſt, quo mobile corpus, aut in æquali tēpore minus ſpaciū pertranſit, aut in maiori minus, aut in maiori æquale. Cauſa verò velocitatis ac tarditatis (vt pote cū aliquod corpus inanime celerius alio moueatur) duplex reddi ſolet: altera quidē ſumitur à diſſimilitudine medii: altera verò à diſpari grauitate & leuitate corporis mobilis. Corpus namque longè celerius fertur per medium liquidius & magis tenue, vt per aëra, quàm per ſolidius & ſpiſſius, vt per aquam: vt pote quod

tenue,

tenue, facilius & ocyus cedat, crassum autem obsistat, renitatur & remoretur motum: nam tenue est, quod diuiditur facilé, id aũt facile diuiditur, quod etiam facilè terminatur. Itaq; aër, quia facilius terminatur, q̃ aqua, propterea citius diuiditur. Sed qualis est ratio siue proportio medii in tenuitate ac densitate ad mediũ, talis est tẽporis ad tẽpus: et qualis est tẽporis ad tẽpus, sanè talis est motus ad motũ in celeritate & tarditate. Corpus aũt quò grauius, eò celerius descendit, & quãtò leuius, tãtò velocius ascendit. Sed hæc corpora, quę cõparãtur in motu velociori & tardiori, debẽt esse paria, & esse eiusdem figurę, atq; eiusdẽ magnitudinis: hæc enim oĩa sunt adiumenta, vt pote quę cõferant ad motus tarditatẽ simul & velocitatem. At verò si nulla sit proportio medii in tenuitate & densitate,

ſiue craſſitie, profectò neq; erit tempo-
ris ad tempus, neque motus ad motum.
Proinde motus in vacuo nequaquam
cietur, quia inanis, & pleni, quæ ſunt
media, per quæ motus agitatur, nulla
eſt proportio in tenuitate, & denſitate:
quoniam inane eſt quoddam infinitum,
plenum verò eſt finitum: ſed finiti ad
infinitũ, vt inquit Lucretius noſter, pro
portio nulla: quemadmodum nulla eſt
proportio puncti ad lineam, & nihili ad
numerũ. Poſita & conſtituta cauſa ve-
locitatis, & tarditatis, cõmodiſsimè ſol
uitur illa quæſtio, quæ viros doctos ha
buit ſollicitos hactenus: cur corpora,
quæ naturà mouentur, quando pro-
ximant loco proprio, tunc celeriori mo-
tu ferantur. Conſpicimus enim gut-
tam, inquit Strato, quæ defluens ab
imbricibus, vbi pauimento propinquat,
ob vehementem celeritatem diſiicitur,

ac dissipatur : & corpus graue turbatum ab alto tecto, sonum grauiorem ædit proximè suum locum. At corpora quæ mouentur præter naturam, tardius, & segnius aguntur propè locum, ad quem pelluntur. Fortassis ea est ratio, quòd corpus sponte naturæ motum maiorem, & vim acquirit, accedens proximè locum proprium: quia forma sua, & natura totius, magis ac plenius participat. Tametsi hæc opinio potest defendi, & captiosis argumētis comprobari, quemadmodum scio esse comprobatam à quibusdam minutis philosophis, mihi tamen non probatur: propterea quòd cum his nostris placitis (vt credo) Peripateticis minimè conuenit. Ex natura ergo medii spacii, per quod fertur corpus natura mobile, causa potior multò, sumi potest. Quando igitur corpus propin-

quat loco proprio, in quo conseruatur, tunc minus medium intercedit, & fit tenuius, & ideo facilius diuiditur, ac minus impedit, minusque resistit, ob id celerius mouetur. Non desunt aliqui haud obscuri nominis philosophi, qui causam referant in plures partes medii, verbi causa aëris ad motum actas, atque validè agitatas: & ideo minus resistunt: quia plures sunt in motu, quàm in quiete tunc, cum propinquat corpus loco proprio: nam quantò plures partes quiescunt, tantò validius resistunt, quia firmæ consistunt: nutantes verò & quasi fluitantes, paulo momẽto facilè cedunt, atque huc illuc impelluntur. At in motu violento, & præter naturam, vis impellens, aut impetu facto proiiciens, paulatim & perpetuò deficit, & quasi exolescit: quippe quæ semper of-

ſendat plures partes ſtabiles, & quie-
ſcentes, quàm inconſtantes, & cōmo-
tas: icciréo corpus vi actum, tardius
fertur in fine, quàm in principio mo-
tus. Vt vt res eſt, de hac controuerſia
nunc non ſum ſollicitus, modo apud
te conſtet cauſam pendere ex natura "
medii, ſecundum dogma Ariſtotelis: "
quemadmodum plenius et diligentius
explanaui in opere noſtro, de ſcho- "
laſticis controuerſiis. Sed hæc om- "
nia, quæ hactenus dixi, de celerita-
tis & velocitatis cauſa, dicta eſſe vo-
lo de velocitate, et tarditate corpo-
rum inanimium: nam nemini eſt du
bium, quin corpora ſint cuncta, aut
animata, aut inanimia: animata, aut
immortalia, vt corpora cœleſtia, aut
mortalia, vt corpora hominum bru-
torum, ſtirpium: inanimia, aut ſim-
plicia, vt elementa quatuor, aut com-

posita, vt ſulphura, gemmæ, metalla, & reliqua id genus grauia, & leuia: propterea aliter eſt iudicandum de celeritate, & tarditate inanimium corporum, quàm animatorum. Corpora etenim inanimia, non poſſunt temporis momento moueri, propter repugnantiam externam, quia (vt nuper dicebam) medium ſua ſpiſſitudine, aut tenuitate impedit, ac remoratur motum, tenuitate quidem minus, ſpiſſitudine verò magis. Animata corpora caduca, nec ſubitò mouentur, nec aut celerius, aut tardius, cum propter repugnantiam externam, tum internam. Diuiduntur enim in partem perſe mouentem, vt formam, & partem per ſe motam, vt corpus. Inanimia non diuiduntur in partem per ſe mouentem, & per ſe motam, vt elementa, ſed in formam, ac ſimplicem materiam, quæ per ſe non mo-

uetur. Causa ergo interna velocitatis, & tarditatis animatorum corporum, est ipsa repugnantia, inter partem motam, & mouentem, vt corpus humanum, vel ferinum, non potest tanta celeritate ferri, vt subitò moueatur, tum quia pars mota resistit animæ per se mouenti, tum quia mouetur per plenum spacium, aut spissius, aut rarius: propter hanc eandem repugnantiam inter partem motam, & mouentem, magni quidam philosophi sibi persuaserunt, corpus cœleste ita celeri motu conuerti, vt celeriori non posit: siquidem formæ suæ mouenti, orbis cœlestis repugnet, & obsistat. In hac hæresi fuisse videtur Aristoteles, qui in secundo libro de cœlo & mundo, iudicat, si ad orbem stellā adderetur, omnino fore, vt is vel à suo motore etiamnum moueri non posset, vel tardius

moueretur, id'q; nõ ob aliã causã, quàm quòd repugnantia increſceret. Sed repugnantia interna corporis cœleſtis, & caduci, eſt valde diſſimilis, quia corpus caducum repugnat, & renititur, ne feratur in eam partem, in quam ſua forma mouet. Cœleſte verò propendet ſemper & inclinat eò, quò ſua forma mouet, ſed obſiſtit, ne ocyus conuertatur, quàm conuerti aptum ſit. Ex quo loco planè intelligitur de ſententia Ariſtotelis, Deum habere potentiam mouendi finitam, non infinitam. Sed hæc diſceptatio in alium locum, & aliud tempus reiiciatur: quandoquidem ad vſum, & finem motus aſpirare, & cõtendere nunc ſit vtilius, & opportunius: nihil enim natura temerè, & ſine cauſa molitur, & facit, ſed oẽs ſuos conatus (niſi ab aliqua vi externa impediantur) intendit in aliquos vſus,

& certos fines, vt ille calceus inutilis eſt, & fruſtra ab artifice factus eſt, qui pedem aliquem non munit, & induit, ſic quoq; motus in hoc diuino opificio incaſſum cieretur, niſi à ſagaci, & prouida natura, ad aliquẽ vſum fuiſſet inſtitutus. Naturę quidẽ finis eſt, vt ſuo quodam inſtinctu appetat, & aſpiret ad rerum cuſtodiam. Cuſtodiri autem non poſſunt niſi per ſuam formã: per formã nãq; & ſunt, & opus propriũ faciunt, & tantiſper ſunt, atq; ſunt in opere, quo ad forma fruũtur: vbi deſtituuntur illa, continuò intereũt vnà cũ ſuo opere. Cũ igitur præſtet eſſe, quàm nõ eſſe, natura ſalutaris adhibuit omnes conatus in formam, veluti ſummum bonum omnium rerum naturalium. Vtile enim eſt, & bonum quamq; rem per formã conſtitui, & expoliri, atq; exornari: ſed forma educi ex materia rei fingendæ, efforman-

dæq; gratia, aut in ipſam induci, mi-
nime potuit, ſine aliquo commodiſſi-
mo inſtrumento. Nam quiſq; opifex
ad opus fabricandum, accommodat
omnia genera illorum armorum, quæ
eſſe aptiora iudicat. Simili quoq; mo-
do natura, quæ eſt ſummus artifex, &
idea, atq; imago artis, commodiori in-
ſtrumento vti non potuit ad formas edu
cendas, atq; res vniuerſi mundi fin-
gendas, quàm ipſo motu. Vt enim ex
ſemine genitali conformetur illud ani-
mal ſagax, prudens, & rationis capax,
qui vocatur homo, habet opus natu-
ra, alteratione, atq; generatione: ſed
generari & educi non poteſt forma ho-
minis, quin ſeminis intereat, quia ge-
neratio vnius rei, eſt interitus alte-
rius. Alteratio autem & generatio,
& interitus, ſunt mutationes, & mo-
tus, vt initio explanabam. Sed otio-

ſum eſſet inſtrumentum, niſi per ipſum perficeretur, & abſolueretur opus, atq; extenderetur ad eam magnitudinem præfinitam, quæ commoda ſit ad opus. Nam forma non in quacunq; magnitudine poteſt eſſe principium operandi. Vt enim artifex non poteſt figuram eius nauigii inducere, in quamuis portionem materiæ, quod vſui ſit, & vtile ad ſulcanda maria, ſic forma requirit materiam, quæ extendatur in certam quantitatem, ac terminatam, extenſio autem eſt motus, & quodam modo loci mutatio, vt antea dicebam. Itaq; motus eſt inſtrumentum naturale, aptisſimum ad exornandas materias ſuis formis, vt hæc pulchra rerum vicisſitudo in terris conſeruetur. Nam bonus artifex, non ſolum ſtudet opus ſuum probè fingere, atq; ornare, ſed etiam fictum, & ſumma arte elabora-

tũ,quoad fieri poteſt cuſtodire:ideo na-
tura ſagax,& prouida, quia ſubeſt for-
mæ materia quædam inconſtans, & no-
uæ formæ appetens,& veterẽ faſtidiẽs,
præfecit diuinas mentes,& cœleſtia cor
pora,quæ ſempiterno tempore circum-
acta, conſeruarent hoc inſtrumentum
in æternitatem. Id'ꝗ vt opus naturæ,
quod interit,omne citra globum lunæ
ſeruato incolumi inſtrumento, per quã
dam ſucceſſionem repararetur in per
petuitatem. Verum enimuerò res na
turales, vt generentur,atꝗ conſeruen-
tur, non ſolùm habent opus motu,ſed
etiam quiete:quandoquidem,nec cun-
ctæ quieſcant, nec cunctæ mouean-
tur, ſed interim quieſcant, interim
agitentur: propterea vt integra mo-
tus natura plus atque plus appareat,
quò rerum viciſſitudo conſeruatur, eſ-
ſentia quietis non eſt negligenda:nam

qui profitentur ſe tenere ſcientiam, & cognitionem animæ, illi non modo eius facultates, & opera, & ſenſilia propria, qualia ſunt viſilia, auditilia, guſtatilia, tactilia, olfactilia, contemplantur, ſed etiam quid ſit inuiſile, inauditile, & reliqua inſenſilia diſquirunt. Simili quoq; rationis modo opinor non eſſe ſatis, ſcire quid ſit, & qualis ſit motus, atque eius mobile: ſed etiam (mea quidem ſententia) operæ eſt precium intelligere, quid ſit illud, quod aduerſatur & motui & mobili. Nam non eſt cuipiam dubium, quin immobile aduerſetur & pugnet cum mobili. Porrò immobile, quod ab Ariſtotele nuncupatur ἀκίνητον quatuor modis concipitur. Aut enim immobile id eſt, quod nullo prorſus modo poteſt moueri, neq; per ſe, neq; ex accidenti, cuiuſmodi

est Deus Optimus Maximus, & axes mundi: aut quod longo tempore mouetur, vt stellæ errantes, vt diuturna ægrotatio: aut quod ægre mouetur, vt corpora indecenter conformata, quales sunt loripedes: aut quod sanè quiescit, sed aptum est vt moueatur, & quando, oportet, & vbi oportet, & quemadmodum oportet. Quando oportet, quia puer vt primum natus, licet non moueatur, non tamen dicitur immobilis: quoniam nondum venit tempus, quo potest moueri, & quomodo debet moueri. Vbi oportet, quia in terra, non vocamus pisces immobiles, quanquam non mouentur: nec homines immobiles, qui in cœlo siue aere priuantur motu: quia locus vbi mouentur homines, est terra, vbi pisces natant, est aqua: quemadmodum igitur immobile postremi generis,

opponitur mobili, ſic motui immobi-
litas, quæ dicitur à Græcis ἀκινησία,
hoc eſt priuatio motus: à Latinis appo
ſitè vocatur quies. Nam priuatio habet
magnam ſimilitudinem cum ipſo con-
trario, ſed hoc intereſt, quòd priua-
tio non omnino negat, ſed habet apti-
tudinem iunctam cum negatione: con-
trarium verò negat prorſus. Argu-
mento ſunt cæcum, & inerme, quæ di-
ſtinguntur à non vidente, & à non ar-
mato. Itaq; quies opponitur motui
priuatiuè, ſed non indiſcriminatim,
quæque quies, cuiq; motui opponi-
tur. Nam quies in termino à quo mo-
tus incipit, opponitur motui: non qui-
es in termino, in quem deſinit mo-
tus: propterea quòd, quies in ter-
mino ad quem eſt motus, finis & per-
fectio eſt ipſius motus, quæ dicitur
etiã ἐντελέχεια & ἐνέργεια: & ideo non

est contraria motui, cuius est perfectio, verbi causa, sanationi opponitur illa quies, quæ est in ægritudine, non ea, quæ est in sanitate: quoniã sanitas est perfectio sanationis: ęgritudo verò est contraria, & aduersa, à qua deiicitur. Sed quia termini sunt contrarii, ideo quies erit quoq; quieti contraria. Quies ergo in termino à quo proficiscitur motus, aduersatur quieti, quę est in termino ad quem cietur motus: et quemadmodum mutationes opponuntur mutationibus contradictoriè, hoc est per negationẽ & affirmationem, qualis est generatio & interitus: sic mutationis vacuitas, siue priuatio, quæ dicitur à Gręcis ἀμεταβλησία, hoc est (vt verbũ verbo reddamus) immutabilitas, opponitur priuatiuè mutationi. At cui? rogget quis: nempè illi, quæ est in termino à quo fit mutatio, non illi, quę est

in ter-

mino ad quem eſt mutatio, quia eſt ſua forma & ἐντελέχεια, vt generationi opponitur immutabilitas illa, quæ eſt in negatione ſiue in non ente, & interitui illa, quæ eſt in affirmatione, hoc eſt in ente: atque vt generatio & interitus, affirmatio & negatio opponuntur, ita quoq; immutabilitates opponuntur altera alteri, quemadmodum etiam dictum eſt de motu. Sed immutabilitas non eſt quies, alioqui alterum duorum incommodorum nobis incumberet, aut non omnis quies opponeretur motui: aut generatio, atq; interitus eſſet motus, id quod ſanè vtrumque eſſet abſurdum. Iam verò cum ſtatuerimus quietem in termino, à quo recedit motus, opponi motui, qui ab eodem proficiſcitur, tunc rogauerit quiſpiam, an duo contraria ſint ſimul, quoniam videntur eſſe ambo in aliquo, atque eo-

dem, vt denigratio eſt in albedine, e
ſua quies. Roganti hunc in modu
reſponderem, eſſe ſimul non ſimplici
ter, ſed quadam ex parte: quia quem
admodum motus partim eſt in termi
no à quo incipit, partim etiam in te
mino in quem deſinit, quia eſt diuiſi
us: ſic etiam quies participat vtriuſq;
termini: vt quando fit denigratio, tu
quies partim eſt in albedine, partim
in nigredine: quia ſuccedit nigredo a
ſim. Pręterea quies & motus, vt The
miſtius atteſtatur in Phyſica Ariſtote
lis, non verè opponuntur, ſed eſt o
poſitio priuatiua, quæ dicitur à Gręcis
ἀντίθεσις κατὰ στέρησιν: quoniam quies
eſt priuatio motus. At magis motus,
quàm quies motui aduerſatur, ſiqui
dem motus ſint contrarii. Rurſus hoc
loco aliquis ſciſcitari commodè poſſit,
an quietis ſit generatio, non enim vide

tur eſſe generatio, quia generatio quie
tis eſt via ad ſtatum, quem nuncupat
Ariſtoteles τὸ ἵστασθαι, ergo quies ter-
rę ſurſum pręter naturam, eſſet via ad
ſtatum, quod quidem eſt falſum, quia
quæ feruntur ad ſtatum, illa ſtatui pro
pinquiora celerius mouentur. Sed ter
ra, quę fertur ſurſum, tardius mouetur:
ergo quietis non eſt generatio. Præ-
terea ire ad ſtatum, eſt moueri in pro
prium locũ, ergo terra moueretur ſur-
ſum ſuapte natura in proprium locum.
Rurſum altius rem ſpeculanti, videbi
tur quietis eſſe generatio: quoniam nõ
poteſt quippiam quieſcere, cuius quies
non generatur: hoc eſt non poteſt quie
ſcere, quod ad quietem non peruenit.
Huic itaq; ſciſcitanti, atq; dialectico
more in vtramq; partem diſputanti, &
argumentoſa oratione cauillanti, non
prius reſponderem, quàm mihi ſecum

conueniret, de quo genere quietis pro posita sit controuersia. Nam quies, est aut sempiterna, aut non sempiterna, sempiterna quidem quies, est terrę quę tempore ęterno quieuit, & quiescet, de sententia Aristotelis: non sempiterna verò, est earum rerum, quæ interdum mouentur, interdum non mouentur: & hæc rursus, aut est naturalis, aut violenta. Sanè violentæ quietis non est generatio, naturalis autem est generatio: quoniam generatio est via ad statum: venire autem ad statum, est ferri in locum proprium. Propterea quies non sempiterna, & illa quidem violenta, siue præter naturam, opponitur motui naturali. Nam quemadmodum ignis motus deorsum, qui est præter naturam, aduersatur motui sursum naturali, sic quies ignis deorsum violēta, aduersatur quieti ignis sursum

naturali. Atq; hactenus de omnibus generibus causarum, & principiorum motus, & proprietatibus, & affectionibus eius, atq; adeo de quiete illi opposita, dicta sint hęc satis per methodű definitiuam, in qua nunc lubens acquiesco, ipsam amplificaturus, ornando in Ecphrasi totius physiologię.

ECPHRASIS DE TEMPORE.



MAGNVM Opus omnino, & arduum molior: nã color, & motus, & tempus in ore omniũ versantur, & creberrimè in cotidiana oratione vsurpantur: sed quid sint, vix dum à sapientissimis philosophis intelliguntur. Quin etiam tantum abest, vt intelligi possint, vt plerique perinsignes, & prisci physiologi dubitauerint, an sint in vniuersitate rerum. Melissus enim motum tollit: alii colores, quippe qui opinentur ipsos esse sensus quasdam illusiones, & in rebus haud quaquam reperiri. Non defuerunt etiam, qui negauerint esse tempus, quandoquidem mentibus hominum ea opinio insederit, quæ profiteatur partes

temporis esse præteritum,& consequẽs: præteritum quidem etiamnum non est, consequens verò nondum est. Partes enim quando non sunt, tunc ne quidem totum ex ipsis consurgens esse sit credibi le. Iam verò instans, non est pars tempo ris: quia pars componit, & metitur to- tum, atqui instans minime componit to- tum tempus, siquidem tempus sit diui- duum, instans autem indiuiduum. Sed diuiduum non componitur ex partibus indiuiduis. Propterea huc aciem sui in genii Aristoteles intendens, affirmauit in suis physicis vix, aut obscurissimè pos se cognosci an sit tempus. Quocirca iu dicaui nihil esse difficilius, quàm scri- bere de tempore, de quo philosopho- rum quot extiterunt capita, tot quoq; fuerunt sententiæ. Alii namq; credi- derunt esse conuersionem amplissimi or bis, in qua hæresi fuisse Platonem in Ti

mæo teſtantur Eudemus, Theophra-
ſtus, & Alexander Peripateticus: Sim-
plicius tamen quodam in loco, ipſum ci
uilius interpretans, contendit tempus
conſequi orbis conuerſionem. Nonnul
li alii, vt Pythagorei, opinati ſunt eſſe
ipſum orbem amplisſimum. Alii motio
nem, ſiue motum, vt ſtoici. Alii iter ſo
lis, vt Eratosthenes. Eſſe autem conuer-
ſionem, ne quidem ſit veriſimile, eò ſa-
nè, quòd pars tẽporis ſit tẽpus, at pars
conuerſionis, non eſt conuerſio: quoniam
conuerſio eſt motus, ab eodem puncto
ad idem rediens: quæ quidem defi-
nitio non cadit in partem conuerſio-
nis. Præterea ſi plures eſſent mundi,
quemadmodum Democritus exiſtima-
bat, plures quoq; eſſent conuerſiones,
proindè & plura tempora, ſed tẽpus eſt
vnum duntaxat. Nec verò poteſt eſſe
ſphæra: quoniam quæ ſunt in ſphæra,

sunt vt in loco, non vt in tempore. Præterea sphæra corpus est, tempus minime est corpus. Huc accedit, quòd tempus disterminatur, & copulatur momentis, sphęra non item. Neq; motum esse consentaneum rationi esse videtur, partim quia motus est in sola re mobili, & in loco, in quo mouetur, at tẽpus est in omnibus, & hæret omnibus: meus enim motus non est in omnibus, quia multæ res quiescunt, & non mouentur: partim etiã quia motus est velocior, & tardior, vt apparet in orbæ lunæ, & in aliis corporibus, vt ex animalibus, aquilæ volatus, siue motus velocior est multò, quàm graculi: sed motus velox is est, qui breui tẽpore multus cietur, contrà tardus est, qui longo tempore paucus exigitur, & absoluitur. Si igitur tẽpus esset motus, profectò tempus definiretur tempore. Atqui tempus non potest esse mensura

temporis: non enim definiri potest, neq; vt aliquod quantum, neq; vt quale. Nõ vt quantum, propterea quòd alius annus alio non dicitur, aut lõgior, aut breuior. Non vt quale, quoniã dies, annusue alius alio, non est aut tardior, aut velocior, quia hæc omnia tempora sunt paria. Cum verò non sit motus, nec etiã fit credibile, esse iter solis, quoniã ipsum quoque motus est. Sed tametsi non est motus, non sine tamen motu, siue mutatione esse potest. Cuius rei illud est signum admodum euidẽs, quòd tempus non apprehendimus, nisi insignem animi mutationem sentiamus: at si nullam sentiamus, tũc non percipimus tempus, quemadmodum nobis certam fidẽ dormientes faciunt: qui à somno vel longissimo excitati, nullum tẽpus vel perbreue præteriisse credunt. Sin autem sentiamus ingratam mutationem, vt in ali-

quo affectu tristi, consueuimus appella-
re tempus longum, ob idq; molestum.
In aliquo affectu grato, & læto consti-
tuti, dicimus tempus admodum bre-
ue præteriisse, quemadmodum suo loco
explanabitur. Itaq; in hac tanta opi-
nionum varietate, & rei obscuritate, ni-
hil certi ausim affirmare, sed tunc nõ me
diocrem laudem me esse consecutum ar-
bitrabor, cum quid senserint Aristote-
lei philosophi, saltẽ aliqua methodo scri
ptis commendare tentauero. Nihil
enim est vsq; adeo rude, & obscurum, &
turbatum, vt non expoliatur, splende-
scat, atq; mirabilem dispositionem ac
cipiat, si diligenter methodum adhi-
bueris. Hæc iure optimo regina in-
uentionis, expultrix confusionis, lux
veritatis nominari potest, de qua iu-
stum volumen conscripsi: non ea qui-
dem gratia, vt sperarem me supera-

turum MONTANVM, qui de eadem, & doctè, & accuratè ſcripſit, ſed vt ad vſum magis ipſam reuocarem, & quoad fieri poſſet magis, atq; magis amplificarem, atq; illuſtrarem, hominibusq; non nullis, ad ineptam rationem cum docendi, tum ſcribendi deflectentibus, conciliarem. Sed prætermiſſa methodi vtilitate, ac multiplici vſu, quid ſit tempus, & quale ſit, definire nunc pertinet ad noſtrum inſtitutum. Tempus igitur eſt numerus continuus, atq; numerabilis ab anima, per ſe in motu, & in quiete ex accidenti, per prius & poſterius, vt res naturales mutatione conſeruentur. Omnis quidem motus eſt continuus, nam quod mouetur, id omne ex aliquo, in aliquod moueri neceſſarium eſt, vt aliàs fuit demonſtratum. Id autem eſt euidentiſſimum in mutatione loci: ſi enim quippiam

mutetur & transferatur ex termino in
terminum, oportet offendere mediam
magnitudinem, per quam fiat mutatio.
Sed magnitudo est continua, ergo &
motus erit continuus, qui cietur in ipsa:
nam cnntinuatio motui cōuenit per ma
gnitudinem. Præterea in magnitudi-
ne est pars posterior, & prior, & ideo erit
in motu quoque. Nam quod cadit me
dium inter prius & posterius in magni-
tudine, id ipsum intelligimus esse mo-
tum. Sed nos sentimus tempus per mo
tum, & motū ideo sentimus, quia in ma
gnitudine deprehendimus prius & po-
sterius, atq; adeo medium iudicamus es
se motum. Ergo tempus sentimus pa-
riter, quia deprehēdimus in motu prius
& posterius, & medium intelligimus es-
se tempus. Tempus igitur erit nume-
rus, siue mensura motus: sed motus est cō
tinuus & diuiduus in partem priorem,

& posteriorem: proinde & tempus erit continuum, & diuiduum in prius ac posterius. Nam si magnitudo est continua, & motus cōtinuus, consequens quoque est, vt tempus sit continuum, siquidem compositio, & diuisio temporis, sequatur necessario compositionem, ac diuisionem magnitudinis simul & motus: motus quidem, quia dicimus illud corpus esse velocius, quod aut breuiori tēpore conficit, aut spatium maius, vel æquale, aut quod æquali tempore conficit maius: magnitudinis verò, quia consueuimus dicere magnitudinem dimidiatam, pertransiri dimidiato tempore, & minorem minori: præterea magnitudinem finitam, aut infinitam, vel diuisione, vel extremis, constituere tempus finitum, aut infinitum, vel diuisione, vel extremis. Est igitur numerus, & mensura continua per motum, quemadmo-

dum motus per ſuam magnitudinem. At roget quis, qui fieri poteſt, vt tẽpus ſit continuum, atq; idem numerus? ſiqui dem numerus non ſit continuus, ſed diſterminatus. Sanè numerus eſt triplex, aut numerus, quo numeramus, qui eſt in genere quantitatis diſterminatę, qualis eſt collectio multarum ſingularitatum, vel in binario, vel ternario, vel in alia reliquorum numerorum ſpecie: qualis etiã eſt numerus multorum hominum, vel ferarum. Aut eſt numerus qui attribuitur animæ, ideoq; à Platone definitur eſſe numerus ſeipſum mouens, ſed hæc notio numeri eſt valdè impropria. Aut eſt numerus numerabilis, ſiue numeratus, qui eſt naturà rebus inſitus. Cum igitur tot numeri ſint notiones, profectò non ſit veriſimile, tempus eſſe numerum, quo numeramus, quia tempus eſt quantitas continuata, ille verò numerus, eſt

diſter

disterminata. Huc etiã pertinet, quòd si esset numerus, quo numeramus, efficeretur, vt tempus preteritum, & futurũ vnũ atq; idẽ numero esset: quia numerus quo numeramus, semper est vnus atque idẽ cõceptus animo: vt denarius numerus, est vnus atq; idem numero, quãuis res numeratę sint diuersę, vt equi, & homines, solum tẽpus pręsens, est idem numero, quẽadmodũ mutatio pręsens: nihil enim idẽ differt a se ipso. Nec numerũ quidem attributũ animę esse tempus sit credibile, quia tẽpus nõ est substantia, sed quãtitas. Restat igitur, vt sit numerus numerabilis: numerus autẽ numerabilis, partim est cõtinuus, quatenus est in subiecto motu, partim nõ cõtinuus, quatenus refertur ad momentũ prius & posterius, quę quidẽ disterminata sunt, non cõtinuata. Quòd autem tempus sit & continuũ, & numerus nu-

merabilis,id eſt argumento,quod tẽpus dicitur longum,& breue,quia eſt continuum: nam longitudo & breuitas, eſt affectio propria magnitudinis, vti lineæ. Præterea nuncupatur multũ & paucum,quoniam eſt numerus,multitudo enim & paucitas eſt propria affectio numeri, ſiue quantitatis diſterminatæ. At verò tempus neq; velox,neq; tardum vocatur,quia nullus numerus eſt velox, aut tardus,neq; is quo numeramus,neq; numerus numerabilis. Numerus quo numeramus, eſt animo conceptus, & à rebus ſeparatus: numerabilis eſt in re ipſa, verbi cauſa in motu, & magnitudine. Si igitur nullus numerus eſt velox,aut tardus, ſed multus aut paucus, & ſi nulla magnitudo eſt velox,aut tarda,ſed longa,aut breuis, neq; tẽpus erit velox,aut tardum. Huc quoq; accedit, quòd motus non ſolũ actu eſt continuus,

ſed etiam poteſtate diuiduus. Tempus igitur erit actu continuum, & poteſtate diuiduũ: quia menſura, & id quod ipſa metitur, debẽt inter ſe æquari. Itaq; tẽpus eſt numerus numerabilis, non numeratus, quia poteſtate eſt partibile. Iam verò quia eſt numerus numerabilis, propterea eſt neceſſariũ ab aliquo numerari, & actum illum numerandi in aliud recipi: quoniã nihil in ſe agit, nec à ſe patitur: numeratur autẽ ab anima, non quidẽ vegetatrice, nec ſentiente, ſed à rationali, quia numerare eſt quaſi ratione vti & intelligere. Anima igitur numerat, & numerando efficit tẽpus. In alio autem non efficit ſubiecto, quàm in motu, quia motus eſt capax diuiſionis, atq; dinumerationis, quã anima producit. Motus igitur eſt numerabilis: proinde cauſa effectrix eſt anima numerans, & ſubiectum eſt motus, hoc eſt

tẽpus est in anima effectiue, subiectiue in motu. Nã motus & tempus miram habent inter se se cognationẽ, & similitudinẽ. Motus quidem fluit, & inconstans est, tempus etiam fugacissimũ est. Conuenit autem & consentaneũ videtur, vt rei inconstantis sit quoq; incostans mensura. Præterea motus reuertitur idẽ specie, haud numero: pariter & tempus idem specie redit, numero autẽ idẽ redire non potest: vt reuertitur idẽ annus, idem mensis, idem dies specie, non numero, quia quod semel abolitum est, & corruptum, idem numero non redit, sed specie nouatur: quandoquidem sua forma interierit, & omnes affectiones aptè ad illam recipiendam, prorsus sint deletæ. Huc etiam pertinet, quòd vt tẽpus metitur motũ, ita vicissim motus metitur tẽpus, vt cum dicimus esse multum, vel paucum tẽpus, quia motus

est multus, vel paucus, & vicissim talem dicimus esse motum, quale est tempus. Et iure optimo mutuas sibi prestant mẽsuras, quia hæc tria, magnitudo, motus, & tẽpus, sunt continua, ex simili natura conflata: vt enim motus, & tẽpus sunt quantitates continuæ, & diuiduæ, atque inuicem se metiuntur, ita motus quoq;, & magnitudo, vicissim se metiuntur, quoniã dicimus magnitudinem esse longã, aut breuem, quia motus est longus, aut breuis, atq; hoc reciprocatur. Itaq; propter cognatã naturam, tẽpus est in motu, atq; eius affectio, siue passio nuncupatur, siquidẽ sit numerus, & mensura motus. Et quia motus vbiq; est: quãdo quidẽ omnia corpora, aut moueãtur, aut quiescãt, propterea & tẽpus vbiq; erit. Quòd autẽ omnia corpora fruantur aut motu, aut quiete, illud argumento est, q; omnia sunt in loco. Locus quidẽ & mo-

tus simul sunt, & conueniunt, si locus est potestate vel actu, pariter & corpus est, & mouetur in loco potestate, vel actu. Tempus igitur est in motu, hoc est, est numerus motus per se, & quatenus motus est, non quatenus est incrementũ, vel alteratio, vel latio, vel alia mutatio. Potest enim fieri, vt idem corpus patiatur multas, & diuersas mutationes, & loco moueatur, & alteretur, nihilominus vnũ atq; idem erit tempus: Quid namque vetat, quin plurium rerum idẽ sit numerus, & mensura? ne longius abieris, denarius numerus est vna atque eadem mensura decem equorum, & decem hominum: & Xestes eadem mensura est aquæ, & vini, & aliorum liquorum, simili quoq; rationis modo multorum motuum potest esse idem tempus, numerus, atq; mensura: & quanuis motus sint inæquales, vnus velocior, alter tardior:

vt ſi equus vno die idem ſpatium conficiat velocius, quàm ouis, tamen, & ouis, & equi idem eſt tempus, nimirum dies. Quòd autem tempus ſit vna, atque eadem menſura multorum motuum, id argumento nobis eſt, quòd multi motus diſtincti ſunt, minime per differentiam temporis, quod quidem eſt κατηγορούμενον, hoc eſt prædicatum. Nam traditur ea regula à dialecticis perpetua: vt quando τὰ ὑποκείμενα, hoc eſt ſubiecta ſunt diſtincta inter ſe, & non diſtinguuntur per differentiam ſui prædicati, tunc prædicatum commune eſt vnum atque idem: vt figura, quanuis dicatur de trigono, & circulo, non eſt tamen ipſa prædicatum vnum, atque idem: quoniam trigonum, & circulus diſtinguuntur per differentiam prædicati. Differentia enim figuræ eſt: quia vel εὐθύγραμμος, vel περιφερόγραμμος,

eſt. At circulus eſt περιφερόγραμμος figura, trigonum eſt εὐθύγραμμος Iã verò ſcalenũ & iſopleurum, habent trigonum prædicatum commune, vnum atque idem: quia ſcalenum, & iſopleurum, non diſtinguuntur per differentiam trigoni. Tempus igitur eſt menſura motus, & multorum motuũ vna atq; eadẽ menſura. Sed hic non ineptè rogauerit quiſpiam, ſit ne menſura omnis motus, & ideo conuerſionis cœli, quæ motus eſt? Vt roganti clara, & aperta ſit reſponſio, tres hypotheſes initiò ponendæ & conſtituendę ſunt. Prima quidem eſt, menſurã, & id quod ſubit menſurã, debere eſſe eiuſdem generis: nam decẽ equos, decem homines, aut lignum tricubitum metimur, aut vno equo, aut vno homine, aut vno cubito. Altera verò eſt, nempe menſuram tribus eſſe inſignitã

notis, vt sit breuissima, vt sit notissima, vt sit æquabilis. Tertia est, omnem motũ esse aut æquabilem, aut inæquabilẽ. Porrò inæquabilis est motus earũ rerum, quæ sunt infra globũ lunæ: æquabilis est conuersio orbiũ cœlestiũ, & hæc rursus aut est velocior, aut tardior: at velocissima, & breuissima omnium conuersionũ, est supremi orbis conuersio: quia vno die ab eodem puncto, ad idẽ celerrimè ab occidente in orientẽ, indeq; ad occidentẽ conuertitur. Aliæ verò absoluuntur tardius, aut mense, aut anno, aut pluribus annis. His itaq; positis & constitutis, arbitror satis constare apud quẽq; virũ, vel mediocriter versatũ in physiologia Aristotelica, tẽpus esse mensurã cœlestis quoq; conuersionis, quẽadmodum per secundam, & tertiã hypothesim conuinci potest: quandoquidẽ dies sit mensu-

ra, & breuissima, & notissima metien-
di conuersionem primi orbis. Nec so
lum tēpore metimur motum, sed etiam
ipsum tempus, id quod per primā hy-
pothesim fit planissimum. Vno enim
die metimur hebdomas, & menses, &
annos: vicissim quoq; motus, non mo
do tempus metitur: quia quod nume
rat, eidem accidit & numerari, sed eti
am ipsum motum: vt prima conuersio-
ne, metimur aliorum orbium conuer-
siones. Proinde quidam ex priscis phi
losophis, quia tempus est mensura con
uersionis cœli, in eam mentem impulsi
sunt, vt crediderint ipsum esse conuer
sionem cœlestem. Et quia conuersio est
quidam circulus, & orbis, propterea
res humanas in orbē agi opinati sunt.
Quæ quidem opinio animis nostris al-
tè & pertinaciter insedit. Nam dice-
re consueuimus, sanitatē, morbos, for

tunam, infelicitatem, bellum, pacem, & reliqua genera rerum humanarum, tempore ſuo reuerti, tempuſqué illud nuncupamus circulum, ſiue orbem. Ideòq; Aegyptii tempus hoc ſymbolo notabant: anguem enim pingebant circunductum in exactisſimum orbem, qui caudam extremam, in alteram aurem defigeret, vt in hoc genere animalis tamquam in ſpeculo intueremur circulum rerum humanarum. At verò qui cognoſcit tempus eſſe in motu per ſe, hoc eſt eſſe numerum, ſiue menſuram motus, idem poteſt cognoſcere, ipſum eſſe menſuram quietis: nam cognitio eſt comprehenſio, non ſolum formæ, & habitus rei, ſed etiam priuationis: vt oculus non tantum lucem ſentit, verum etiam tenebras per priuationem lucis: & regula iudicamus non modo rectum, ſed etiam obliquum per

recti priuationē: quia rectum eſt iudex ſui, atq; obliqui. Simili quoq; rationis modo, qui intelligit tempus eſſe numerum motus per ſe, ipſe quoq; intelliget eſſe mēſuram quietis per aliud, hoc eſt per motū, ſiue per motus priuationem: verbi cauſa nominamus quietē annuā, quia fuit motus priuatio annua. Et vt motus eſt in numero, quia eſt in tempore, quod eſt eius numerus, ita quies erit in numero, & in tēpore, quia tempus eſt numerus quietis. At contradixerit quiſpiam, tempus eſt in motu, quies eſt in tēpore, ergo quies eſt in motu, ſed quod eſt in motu, id etiā mouetur, quies igitur mouebitur. Reſpōdemus non omnino ſequi, vt quod eſt in tēpore, idem ſit in motu, atq; moueatur, quamuis ſit tēpus in motu, quoniā illi accidat: & ratio, quæ ſuadeat hæc eſt, quia tēpus non eſt idē, quod mo-

tus. Præterea quicquid accidit accidenti, idẽ non accidit subiecto: si enim aliquid sit in albedine, vel dulcedine, non continuò sequitur vt sit in cerusa, aut melle, sed accidit melli esse dulci, & cerusæ esse candidæ. Est ergo absurdũ, motũ & quietem esse in tempore, & tẽpus esse in motu, sed non quietẽ. Cæterũ vt tẽpus est mensura motus per se, & quietis ex accidenti, ita quoq; est mensura rerũ non per se, sed per aliud, siue ex accidenti, hoc est, per motũ simul & quietẽ: quia tempus metitur quietẽ, & motũ rerũ, & non illarũ substantiã. Ergo illæ res tantum sunt in tẽpore, quæ moueri, vicissimq; quiescere possunt. Possunt autẽ quiescere, & moueri, quæcunq; mouentur, & quiescũt omni eo tẽpore, quo aliquod tẽpus reperiri potest maius. Propterea centrũ mundi, poli, & Deus non sunt

in tempore, quia neq; mouentur, neque quiescunt. Sanè poli, & centrum mundi non quiescunt, quoniã id dicitur quiescere, quod vacauit aliquando à motu, aut potest suapte natura inire motum. Nec res impossibiles, nec sempiternæ sunt in tempore: impossibile est Diametrum æquari lateri ipsius quadrati, hæc ἀνυπαρξία est æterna: æternitate nullũ tẽpus est maius, proinde nec Deus erit in tempore, qui sempiterno æuo fruitur. In motu igitur & quiete numerus numerabilis est, quia numeratur ab anima: primo enim ipsa designat in motu prius & posterius, deinde motũ corporis, aut suũ percipiens, iudicat & ratiocinatur illud esse tempus, quod terminatur eo priori & posteriori. Ad extremũ tẽpore adinuento veluti mensura inuenta, numerat & metitur motũ. Iudicat enim tantam esse quantitatem motus, quanta

est longitudo & breuitas temporis, terminati à priore & posteriore. Porrò id ipsum prius & posterius aliò, atque aliò relatum, alia sortitur nomina, relatū ad tēpus nominatur instans siue momentū, relatum ad motum dicitur κίνημα, hoc est terminus motionis. Vt se se habet punctus in linea, ita in tempore momentum, & in motu terminus motionis, & quemadmodū punctus non est pars lineę, sed principiū & terminus, sic momentum temporis & κίνημα motus est proprius terminus. Sed terminus est indiuiduus, non est igitur pars nec temporis, nec motus, quoniam tam motus, quàm tempus recipiunt diuisionem: alioqui diuiduum componeretur ex partibus indiuiduis. Non est ergo momentum pars temporis per se, sed ex accidenti, quia accidit tempori, non vt finis, quoniam finis est pars totius, cuius

est finis, sed accidit, vt est numerus: & quemadmodum singularitas sæpius assumpta, atque repetita efficit numerum, & metitur: sic ab anima momentum sæpe repetitũ in motu, efficit tempus. Ab ipsa enim momentum prius & posterius, primo numeratur in motu, deinde eodem momento numeratur, atque diuiditur tempus: momentum igitur in motu numeratur, atq; idẽ numerat tempus: & postquam inuentum est tempus, tunc tempore numeratur motus: proinde momentum continuat tempus, & diuidit, hoc est, causa continuationis, & diuisionis esse iudicatur in tempore. Et quemadmodum in magnitudine punctus, prior idem subiecto est, quod posterior, & mobile prius idẽ, quod posterius: sed ratione differunt: nam mobile in alia atq; alia parte motus, dicitur esse aliud,

& Coriſcus alius in foro,alius in Lyceo eſſe exiſtimatur à ſophiſtis : ſic propemodum momentũ prius eſt idem ſubiecto, quod poſterius, at ratione differt: quà enim eſt prius in alia parte tẽporis numerabile,eatenus diſtinguitur à poſteriori, in alia eiuſdem parte. Tẽpus igitur terminatur duobus momentis, priore & poſteriore,ratione diſtinctis: quoniã omne diuiduũ,finitũ & rectum, vno fine non põt terminari. Addidi rectũ,quia aliqua magnitudo diuidua, vt sphęra & circulus, habet vnũ terminũ. Sed tẽpus eſt diuiduũ,& finitum,vt annus,menſis,dies:& prius momentũ,quod fuit,& nunc non eſt,corruptũ fuiſſe oportuit:quia non poſſunt copulari, & conciliari indiuidua. Et queãdmodũ indiuidua ſimul eſſe nõ queũt,ita ne quidẽ partes tẽporis,niſi vna cõtineatur ab altera, & mẽſis ab anno,& dies à mẽſe.Si igitur

momentū ſit aliquid temporis, hoc eſt in tempore ſit, & tēpus ſit numerus, neceſſario efficitur vt ſit in numero. Eſſe porrò in numero quippiā intelligimus, aut quia ſit principium, ſiue pars numeri, ideòq; dicimus ſingularitatē eſſe in numero, & minorē in maiori numero: aut quia ſit propria affectio, ſiue paſſio numeri, proinde dicimus imparitatem, & paritatem eſſe in numero. Aut quia numeratur à numero, vt, propterea decem equi ſunt in numero, quia numero denario continentur, atq; numerantur. Simili quoq; rōnis modo aliquid dicitur eſſe in tēpore, & ob id in numero, aut quia eſt principiū temporis, vt momentū, aut propria affectio, vt prius & poſterius, aut quia numeratur tēpore, vt motus. Ideo momentū prius & poſterius, & motus ſunt in tempore: motus quidem, quia tēpus metitur mo

tum, & numerat non totũ, ſed partem, & parte metitur totum, vt die primum metitur partẽ motus, deinde menſibus aliã partem, tum verò totum motũ metitur anno. Eſt igitur motus in tempore, vt numerabile in numero: quemadmodum dicimus bellũ Troianum fuiſſe in tẽpore, hoc eſt in decem annis geſtũ fuiſſe: decenniũ enim eſt menſura belli, & bellũ eſt numerabile: & viciſſim tempus eſt in motu, tanquã in ſubiecto: momentum verò eſt in tempore, ac numero, vt principium, & terminus, prius, & poſterius, vt propria affectio. Porrò eſſe in aliquo, non intelligimus eſſe idem, quod eſſe tunc, cum aliquid eſt: cæteroquin ita reciprocarentur, vt definitio & definitũ: & ſi reciprocarentur, profectò quęq; res eſſet in quaq; re, & cœlũ, quod eſt corpus vaſtiſſimũ, cõcluderetur in perexiguo grano milii: quoniã

tunc milium eſt,cũ cœlum eſt:nam ideo cœlum eſt in milio,'quia reciprocatur. Simili quoq; rationis modo,eſſe in tempore,non eſt idẽ,quod eſſe tunc,cũ tempus eſt:quemadmodũ eſſe in motu, aut in loco,non eſt idẽ,quod eſſe tunc, cum motus eſt,aut locus eſt:ſed tempus, aut motum, aut locum eſſe aliquid intelligimus:motum ergo eſſe in tempore nihil eſt aliud,quàm motum & tempus eſſe aliquid. Sed hoc ipſum aliquid,obſecro te quid aliud eſt,quàm tẽpus eſſe numerũ motus? Et quia tẽpus eſt numerus motus,ideo motus eſt in numero, & in tẽpore, atq; adeo numerabilis,pariter & contentus à tẽpore. Et quãuis tẽpus iudicetur cõtinere,eſt tamen ſimilius numero, quàm loco: nã vt omni numero ſemper aliquis maior reperiri poteſt,"quia creſcit in immenſum, ſic omni tẽpore,aliquid maius reperitur,atqui

omni loco non poteſt maior reperiri,ſi-
quidẽ nihil ſit maius,& amplius octauo,
& ſupremo orbe. Proinde illi nõ ſunt
audiendi,qui vertunt in dubitationem,
vtrũ motus ſiue mutatio,ſit in tẽpore,&
quod mouetur, ſiue mutatur, id omne
moueri tẽpore ſit neceſſariũ. Citra ſa-
nè controuerſiã de ſententia Ariſtote-
lis poſſumus conuincere, nihil moueri,
ſiue mutari,quin habeat opus tempore:
nam (vt nuper dixi) prius & poſterius,
eſt in tempore,ſed in motu eſt prius &
poſterius, motus igitur eſt in tempore.
Quòd autẽ prius & poſterius ſit in tẽpo
re,illud nobis argumento eſt, quòd di-
ſtantia vel propinqua momento,vel pro
cul remota eſt in tẽpore,ſed prius & po-
ſterius eſt diſtantia, ergo prius & po-
ſterius eſt in tempore. Nam in tempo
re prçterito diſtantia procul remota,eſt
prior:at propinqua eſt poſterior,vt bel-

lum Iliacũ, dicimus esse prius Pelopóne
siaco. Rursum in futuro, distantia pro-
pinqua, momento est prior, & remota est
posterior. Iam verò quòd prius & po
sterius sit in motu, ex eo planissimũ fit,
quòd motus est velocior, aut tardior, in
motu igitur est prius & posterius. Cui
enim dubiũ est cœlestiũ orbiũ conuersio-
nes, alias esse velociores, alias tardiores?
aut motus corporum mortalium veloci-
tate, & tarditate differre? ecquis non
cernit testudinẽ tardius, & segnius, leo-
nẽ ocyus, & promptius moueri? Quòd
autẽ, quia motus est velocior, & tardior,
ideo sequatur, atq; efficiatur necessariò,
vt in ipso sit prius, & posterius, id pla-
nissimè constat in certamine equorum:
solemus namq; equos velociores, appel-
lare priores: & tardiores rursum, poste-
riores: siquidem per idem, & ęquale spa
tium, velociores prius attingant metam,

tardiores autem poſterius. Itaque vt momentum eſt in tempore, quia eſt eius principiũ & terminus: ſic quoq; prius, & poſterius, quia eſt affectio, & motus, quia eſt numerabilis, vt pote qui ſit in numero. Ex hoc autem primo termino, & ſummo principio, atq; adeo temporis affectione, nos poſſumus inuenire reliquas affectiones, ac proprietates, ſiue accidentia. Nam momentum, quod ab Ariſtotele nuncupatur τὸ νῦν duplex eſt, aut enim eſt ἀκαριαῖον, quod interdũ vertere ſoleo præſens, & minimum, interdum momentum indiuiduum. Aut eſt πλατικὸν: quod ſi quis vertat diuiduum, aut præſenti, & minimo proximum momentum, non, mea quidem ſententia, coarguendus erit. Præſens quidẽ momentum continuat tempus, & diſterminando diuidit: pro vt continuat, actu & vnum atq; idem eſt: quia concipitur

pro termino communi, quo partes conti nuatæ copulantur: nã contin uũ definitur esse, cuius partes communi termino copulantur: ob id actu est. Diuidit autẽ potestate, hoc est cogitatione, quoniam eundem cõmunem terminũ, cogitamus esse principiũ futuri tẽporis, atq; eundẽ esse finẽ præteriti: hac quidẽ ratione cẽsetur esse aliud, atq; aliud momentũ, hoc est diuersum, quoniã tempora, vt ille inquit, sic fugiunt pariter, pariterq; sequũtur: & noua sunt semper: nã quod fuit ante relictũ est, fitq; quod haud fuerat, momentaq; cuncta nouantur. Proinde hoc genus momenti, quod est in tẽpore, assimilauimus puncto in linea: quoniã punctus est causa continuationis, simul & diuisionis lineæ. Sed hoc interest, quòd punctũ in linea clarius est, atq; apertius, quia in linea permanet, & stabile est: propterea ab Aristotelicis interpreti-

bus nominatur τὸ τῇ θέσει, in tempore fluit, & iccirco vocatur ῥύσις τοῦ χρόνου, hoc est fluxus repẽtinus, & fugax, & vix sensilis propter suã exilitatem, atq; velocitatẽ: & si sentitur, per ipsum motũ sentiri necessarium est: id quod moderatus Columella his carminibus significauit:

Inuigilate viri, tacito nam tempora gressu
Diffugiunt, nulloq; sono conuertitur annus.

Iam verò momentum proximum præsenti, & indiuiduo, est illud quod longè non abest à præsenti: vt nunc veniet, hoc est, hodie veniet, & nunc venit, hoc est hodie venit. Itaq; ex distantia momẽti diuidui ab indiuiduo, & ex accessu & recessu vnius ad alterum, & ab altero, atq; ex prioris, & posterioris interuallo, depromi possunt cęteræ proprietates & affectiones temporis. Aut igitur

momentum diuiduum proximat indiui duo, vel prȩterito, & priori, vel futuro, & posteriori, vt iam veniet, hoc eſt cras, vel perendie, nõ ad milleſimũ annum: & iam venit, hoc eſt heri, vel nudius tertius. Aut recedit, & longiſſime abeſt, vel à præterito, & priori, vt Troia aliquando fuit capta: vel à futuro, & poſteriori, vt aliquando erit diluuiũ. At contradixerit quiſpiã, omne tempus aliquando eſt, quod aliquando eſt, id finitum eſt, & terminatum momento, tempus igitur eſt finitum, non infinitum. Atqui motus eſt infinitus, tempus igitur eſt infinitũ, quia tẽpus eſt propria affectio motus, & momenta continet infinita, at pars temporis deſignata, & terminata momẽto vel priori, vel poſteriori, illa eſt finita, & ob id tẽpus vocatur finitum, ſed tempus ſimpliciter, quia quà tempus eſt, & affectio

motus, infinitũ eſt. Aut proximat prę
terito, & priori tantũ, vt nuper, & du
dum venit rectè dixeris: at non rectè
dixeris nuper fuiſſe captã Troiam, quia
nimium abeſt á momento priori. Aut
à prçterito, & priori tantum momento
longiſſime abeſt, vt cum dicimus olim
captam fuiſſe Troiam. Tot igitur ſunt
temporis affectiones, quæ naſcuntur à
diſtantia momenti indiuidui, & prio-
ris à diuiduo & poſteriori. Supereſt
nunc tantum, vt contemplemur uſum,
& finem, quia Deus, & natura nihil
in hac vniuerſitate rerum otioſum pa-
tiuntur, ſed omnia ſunt alicui vſui, aut
per ſe, aut per aliud. Tempus igitur,
quia eſt numerus motus: ideo motus
eſt numerabilis, & in numero, atq; in
tempore, & cum tempore ſic iungitur,
& conſpirat, vt nec tempus à motu,
ſiue mutatione, nęc viciſſim mutatio à

tēpore seiungi possit. Sed motus siue mutatio est causa vicissitudinis rerū, & cur intereāt, & cur vicissim generētur: proinde etiā tempus iudicatur esse causa interitus, & generationis, quia vtitur mutatione pro instrumēto, quo res omnes dimouentur à suo statu. Ob id quicquid est infra globū lunæ, id dicicimus esse in tēpore, quoniam iudicamus tēpus esse causam ortus, interitus, inuentionis, obliuionis, & cognitionis. Causam porrò esse tēpus generationis intelligi volo ex accidenti, interitus verò per se: quia generationis causa certa est, vt hominis homo causa est, ædium faber, Interitus autem est incerta, ideo adiudicatur ipsa tempori, causam nanque interitus animalium, stirpium, & ędium, atque vrbium referimus acceptū temporis vetustati. Cuius rei illud est signū, quòd vbi nos ignoramus causam

euidentem, ac certam alicuius effectus, tunc solemus causari vim tẽporis, atq; affirmare illud fuisse authorem, & effectorem, quasi fortuitum. Profectò tempus non potest esse causa per se, quia tempus est quantitas, quantitatis nulla est actio, nulla efficientia, omnis autem mutatio fit ab actione contraria: ideo sempiterna corpora, & conuersiones illorum cœlestes, non sunt in tempore, quia non patiuntur à tempore. Pręterea quęcunq; sunt in tempore, illa esse iudicantur, quæ sunt in eo tempore, quo aliud maius reperiri potest: at sempiternitate nihil sanè maius est, nec igitur cõuersio cœlestis, nec corpora ęterna sunt in tempore: at causa per se, & proxima est mutatio materiæ. Et quia est numerus mutationis, siue motus, propterea cẽsetur esse causa, vt modò dicebam, tum generationis, tum in-

teritus:& quoniam ortus,& interitus ha
betur author, iccirco Simonides nomina
uit tempus ſapientisſimum: Paron autẽ
Pythagoreus imperitisſimũ,& inſipiens
appellauit. Sapientisſimum quidem,
quia eſt cauſa generationis: ſiquidẽ be-
neficio temporis ſapientia, & cognitio
rerum cum diuinarum, tum etiam huma
narum, nobis ingeneretur,& acquiratur,
atq; adeo veritatis pater eſſe videatur.
Nihil enim vſq; adeo eſt abditũ,& ob-
ſcuritate naturæ inuolutum, quin tandẽ
aliquando tractu temporis, & pateat,
& ſciatur. Imperitisſimum, quia tem-
pus eſt cauſa interitus: vitio namq; tem
poris, peritia interit, quia tempore obli-
uiſcimur: obliuio eſt venenum & interi-
tus ſciẽtiæ ingenaratæ & acquiſitæ mul
to iã tempore. Quia igitur tẽpus ſuo
robore conſumit omnia, atq; interimit,
ideo poetę nominarunt edax rerum, &

inuidiosum,& robustũ,atq; fabulati sunt κρόνον dictum quasi χρόνον filios simul atq; nati sunt deuorasse, vt nobis significarent edacitatem temporis, atq; fugã. Itaq; tẽpus est causa partim interitus, partim generationis, ope ipsius motus, ex quo genus omne mortaliũ sentit cõmoditatem, & incommoditatem: nam multa ferunt anni (vt Poëta cecinit) venientes commoda secum, multa recedentes adimunt. Et iccirco Deo Optimo Maximo ingentes gratias ago, qui mihi tantum temporis suppeditauit, vt commodè licuerit aliqua methodo, & quid, & quale sit tempus explanare. Postea reliquum, quod supererit in expolienda Ecphrasi totius philosophię consumere decreui.

ECPHRASIS DE LOCO.



OCVS Est nomen ambiguum, & ideo distinguendum est, nam locus, aut est cõmunis, aut est proprius. Cõmunis est, qui plura vno corpora recipit. Proprius est, qui vnũ corpus continet, preterea nullũ aliud. Et vt in loco communi dicitur corpus cõtineri per aliud, sic in proprio contineri per se, idest primò iudicatur: vt cum stirpem dicimus esse in cœlo, quia est in aëre, qui continetur in cœlo, & in aëre, quia in vna parte aëris est. Cœlum igitur, & totus aër, est locus cõmunis, qui attribuitur huic stirpi per aliud, nimirum per aëris partem, quæ est proprius locus. Proprii autem loci naturã disquirimus,

quid ſit, ideoq; non ab re fuerit exordiũ ſumere à definitione. Locus ergò proprius, eſt terminus immobilis, & primus, phyſici corporis, continentis proximè, contentum corpus phyſicum, mobile latione, vt ordo vniuerſi in ęternitatem conſeruetur. Terminus, finis eſt, finis corporis eſt quoddam extremum, extremũ eſt ſuperficies extrema & plana, nam corpus omne finitur, & terminatur ſuperficie. Locus autem non poteſt eſſe corpus, neq; quippiam ſeparatum à corpore in quo eſt, ſiquidem, ſi ſit corpus, neceſſariũ eſt, vt ſit aut ſenſile, aut intelligibile. Si corpus ſenſile, aut erit elementũ, aut ortum de elementis. Pariter ſi dederis eſſe intelligibile, erit aut elementum, vt propoſitio ſyllogiſmi, & eius ſyllabę, aut ortũ de elemẽtis, vt concluſio & νοῦμα. At intelligibile eſſe nõ poteſt, quia quod in

telligibile est, caret magnitudine, sed locus habet magnitudinem. Nec corpus sensile, quia corpus permearet corpus, & proinde locorũ esset infinita multitudo, quia infinitè permearet partes corporis contenti. Neq; quippiã est separatũ à corpore in quo est, neq; principiũ corporis, quia aut esset materia, aut forma, aut efficiens, aut finis: non materia, quia ex loco nihil fit, & locus continet, & materia continetur, & est internũ corporis principiũ, ex quo fit corpus. Nec forma, quia forma est terminus in re, & illa intereunte corpus interit, ideòq; non separatur, at locus est terminus externus, & separatur. Neq; est efficiens, quia locus nihil efficit, sed effectum, & genitum recipit, atq; obtinet tantùm vim conseruãdi corpus locatum, propter qualitates suas à cœlo demissas, & vim producendi vitã, aut

contra breuiandi, vt inquit Aristo. in
lib. de resp. & de long. & breuit. vit: &
mutandi mores animalium, quia sequũ
tur qualitatẽ cœli, & loci: vt Beotii sunt
crassi ingenii, quia sunt nati in loco, &
aëre crasso, vt ait Arist. octauo de hist.
animaliũ: neq; est forma, quia in rebus
naturalibus finis & forma concurrunt:
Cum igitur non sit, neque corpus, neq;
principium corporis, sed in corpore, se
quitur vt sit in illo, aut vt punctus in li
nea, aut vt superficies in corpore: non
quidem vt punctus, quia puncti nul-
lus est locus, quia punctum est indiui-
duum, ergo indiuidui locus debet esse
indiuiduus, sed indiuidua non queunt
esse attigua, hoc est alterum non po-
test cõtineri ab altero, quia carent par
tibus, ideóq; non possunt se se contin-
gere, & locare. Nam locus, & loca-
tum inter se æquantur, & se mutuò at-

tingunt. Vt enim aliquid locetur, est necessarium, vt habeat partes: est ergo vt superficies in corpore. Nam esse in aliquo, multis modis intelligitur, vel vt species in genere, vel vt genus in specie, quia est in eius definitione, vel vt totum in partibus, vel vt partes in toto, vel vt forma in materia, vel vt res in mouente, vt res hispanæ in Carolo Cęsare sunt, quemadmodũ cecinit Homerus διὸς ἐν γούνασι κεῖται, vel vt in fine, vt homo in fœlicitate, vel vt in vase, vt liquor in dolio, vel vt in tempore, vel, vt in affectione, vt in morbo, in sanitate, vel, vt in numero, vel vt in se ipso, non per se, nec per accidens, nec primò, sed per alterum, idest per partes, quæ sunt in toto, vel, vt accidens in subiecto, vel, vt superficies in corpore. Quare si locus est superficies extrema, quæ terminat corpus, erit in

corpore aliquo, non vt in loco, ſed vt accidens in ſubiecto terminato. Proinde Zenonis cauillus diſſoluitur, quo euertitur locus: nam Zeno non ſolũ motum ſuſtulit, ſed etiam locum. Quicquid eſt (inquit) in aliquo eſt, ſed locus eſt, igitur in aliquo eſt: ſed quod eſt in aliquo, idem eſt in loco, ergo locus eſt in loco, ergo locorum infinita eſt multitudo. Atqui non ſequitur, vt quia eſt in aliquo locus, iccirco ſit in loco, quia eſt in corpore vt accidens in ſubiecto. Nam eſſe in aliquo ſiue alicubi, quod ποῦ vocat Ariſtoteles, latius patet, quàm eſſe in loco: quãuis enim punctus ſit alicubi, tamen non eſt in loco. Sic propemodum locus eſt ſuperficies, quæ eſt alicubi, ſed in aliquo non eſt. Itaq; locus eſt ſuperficies extrema, ſiue terminus, quem vocat Ariſtot. τὸ πέρας. Sed quia ſuperficies eſt accidens, & accidens non

mouetur per ſe, iccirco locus, qui ſuperficies eſt, immobilis eſt: non enim poteſt moueri, quà eſt ſubſtantia, quoniam conſtat ſatis non eſſe ſubſtantiam, neq; quà qualitas, quia eſt ſuperficies, neq; quà ποῦ: cæterò quin loci eſſet locus: neq; quà eſt quantitas, quia nec augeſcit, nec decreſcit. Immobilitatem præterea poſituræ, ſiue partes loci indicant. Porrò poſituræ, aut diſtinguuntur ex noſtro ſitu, aut naturà: ex noſtro ſitu mutãtur, mutatis nobis, aut rebus, vt columna, vel domus dextra, nobis mutatis fit læua. Poſituræ, quæ natura diſtinguuntur ſunt immobiles, & nunquam mouentur nobis mutatis, vt in cœlo, eadem poſitura ſemper permanet: nam oriens ſemper erit dexter, & occidens ſiniſter, dexter poſitus eſt, vnde natura auſpicatur motum, ſiniſter ad quem fit motus: proinde videmus animalia inſtinctu naturæ ſem-

per instituere motum à parte dextra: equus enim incipit natura duce mouere primò dextrum pedem, deinde sinistrum. At pars borealis est anterior, australis veró est posterior: superus locus est superficies concaua orbis lunæ citima terris, quò sponte naturæ leuia corpora feruntur, vt ignis: hanc posituram vocat Aristot. τὸ ἔσχατον. Nam principia dimensionum in situ sunt extrema, à quibus non solum loca nomen habent, vt à longitudine supera, & infera, á latitudine, dextra, & sinistra, ab altitudine anteriora, siue aduersa, & posteriora, siue auersa, sed etiam quia per ipsas â se distant, denominantur cō traria: inferus enim locus est superficies terrę, siue centrum terrę quod medium mundi nominat Arist. quò ferũtur corpora grauia: sed locus superus, & inferus sunt posituræ propriæ simplicium

corporum, reliquæ ſunt animatorum corporum magis propriæ. Si igitur partes loci præcipuæ ſunt immobiles, locum quoque immobilem eſſe neceſſum eſt. Præterea Theophraſtus, Eudemus, & Ariſtoteles quarto Phy. immobilitatem loco prorſus adiudicant. Quamobrem (Plutarcho teſtante) vt poëſis eſt pictura loquens, & pictura eſt poëſis tacens: ſic locus quoque eſt vas immobile, & vas eſt locus mobilis, & proinde aliud eſt eſſe in vaſe, quàm eſſe in loco, quod enim eſt in vaſe, eſt in re mobili, vt nauta in naui, rurſum quod eſt in loco, id eſt in re immobili. Iam verò vt ſuperficies continentis, æquetur ſuperficiei corporis contenti, ne reperiatur locus vacuus, non ſolum oportet locum eſſe immobilem, ſed primum, hoc eſt proprium, & æqualem: nam locus continet par-

tes, & æquatur partibus, & toti. Sed hic opportunè roget quis, qui fieri potest, vt locus ſit æqualis, & æquetur corpori augeſcenti? nam ſi debet æquari, neceſſarium erit augeſcere, augeſcente corpore, & proinde locus non erit immobilis. Fortaſſis autem accretio eſt propria affectio corporis, quod per ſe augeſcit, locus verò ex accidenti, quia dum corpus continens cedit augeſcenti corpori contento, interea ſuperficies dilatatur, & ampliatur, ſed ampliari non eſt augeſcere, ſed potius cedere. Nam vera accretio in tres dimenſiones extẽditur, longas, latas, & profundas, quia ſolũ corpus augeſcit: locus verò habet tantùm duas dimenſiones, & licet duas habeat duntaxat, tamen cõtinet, & æquatur corpori locato, & toti, & eius partibus. Sed contineri & eſſe in toto, & contineri, & eſſe in loco, non nulli idem eſſe opinati

ſunt:ſed falluntur (meo quidem iudicio) nam totum quidem continet & partes, quia continuatur partibus: locus verò eſt attiguus, non continuatus locato corpori. Præterea partes non mouentur in toto, ſed cum toto, vt manus cum ſuo toto, & humor cryſtallinus cũ oculo. Corpus verò locatum non mouetur cum loco, ſed in loco, vt aqua in vaſe, vt cœlum iu ſuo loco conuertitur, quia locus ſeparatur, & dirimitur, totum non ſeparatur à partibus ſuis. At quemadmodum nullum eſt corpus, quin ſit alicubi, ita nullus eſt locus priuatus corpore, alio qui reperiretur inane, nec omne corpus locum occupat, ſed corpus phyſicum dũ taxat & concretum ex materia & forma: nam res mathematicæ & artificioſæ per ſe, & propriè in loco non ſunt, quia, vt ait Ariſt.3.cœli, quod nullam habet propenſionem, ſiue ῥοπὴν, id eſt immobile &

mathematicum : quod autem tale eſt, quo in loco quieſcit, eodem etiam moueri poteſt ; in artificioſis vt artificioſa ſunt, nulla ineſt propenſio: neque in mathematicis, quia ſunt in cogitatione, vt triangulum in cogitatione habet ſuam eſſentiam: quia mathematicus non cogitat triangulum æreum, aut ligneũ, aut cereum, ſed abſtrahit à materia, in qua deſignatur triangulum, vel alia figura. Nam quòd anima vocetur locus earum formarum, quæ animo concipiuntur, nihil me mouet: quia per ſimilitudinem vocatur locus, re vera tamen non eſt locus. Sola igitur corpora phyſica ſunt in loco per ſe: vt corpora ſimplicia, & ex his compoſita : ſed ſimplicia ſunt per ſe, & primò, per ſe tantùm compoſita : quia ſunt in loco per ſimplicia, ſiquidem ſequantur motum ſimplicis corporis dominantis

& eò ferantur, quò inclinat corpus ſimplex, quod dominatur, ergo ſolum corpus ſenſile, hoc eſt phyſicum eſt in loco. Nam propriũ loci eſt continere, quia non eſt ſuperficies, qua ſuperficies eſt, ſed qua continet, alioqui omnis ſuperficies eſſet locus, & nihil eius eſſet quod continetur: cuius rei illud eſt ſignum, quòd corrupto, aut genito corpore locato, locus etiamnum ſupereſt, vt aër in eodem loco gignitur, in quo aqua fuit corrupta. Quod autem locus cõtineat, illud argumento eſt, quòd oẽs veteres, id attribuerunt non ſolum loco proprio, verum etiã communi, & iccirco Plato continendi facultatẽ, eſſe propriam loci indicans, variis nominibus expreſſit & translaticiis. Is quidẽ tum in Timęo, tum in dogmatibus nõ ſcriptis, quę vocat ἄγραφα, hoc eſt opera quæ continent dogmata rerum na-

turalium tradita familiaribus, & sodali-
bus, locum nominat materiam, & ma-
trem, & nutricem, & magnum, paruū́q́;,
& infinitum χώραν & ὑποδοχὴν, &
πανδεχὲς, & μεταλαμβάνον, & μετα-
ληπτικὸν, & eundem etiam vocat διά-
στημα, hoc est interuallum: est porrò in
teruallum idem, quod locus, sed variis
notionibus comprehensum ab antiquis,
ab aliis pro interuallo eius, quod in lo-
co est, corporis, quod διάστημα σωματικὸν
dicitur ab Aristote. ab aliis pro inter-
uallo separato & experte corporis com
prehenditur, vt à Democrito, & Leucip
po, qui opinabantur esse spatium vacuū
in tres dimensiones extensum ἀσώμα-
τον, καὶ ἄποιον, hoc est, incorporeum &
sequale, siue qualitate nulla affectum, ca
pax corporum subeuntium, & vicissim
recedentium: verbi causa sublatis co-
gitatione nostra omnibus elementis, to-

tum illud ſpatium vocabant interual-
lum: & forté non temerè, quoniam huic
interuallo incorporeo conuenire viden
tur omnes loci proprietates: nam con-
tinet corpus, & ab eo contento ſepara-
tur, & eſt immobile, & nihil eſt eius, quod
continetur, & æquatur corpori conten-
to: atq; huiuſmodi proprietates vidētur
rectius quadrare illi interuallo, quám
ſuperficiei corporis continentis. Et
ideo dicuntur corpora permeare huiuſ-
modi interuallum; quia ipſum opplent:
non quia permeent corpus: ſanè per-
mearent, ſi interuallum eſſet corpus.
Sed hæc opinio mihi ſemper fuit du-
bia, quia ſi locum definiunt eſſe interual
lum, & interuallum credunt eſſe tres di-
menſiones, & tres dimenſiones, nihil eſſe
aliud, quám quantitatem, profectò ac-
cidens erit ſine ſubſtantia: niſi quiſpiam
reſponderet non eſſe quidem ſine ſub-

ſtantia,ſed eſſe in ſubſtantia, & ea niti, quemadmodum ſuperficies adnititur corpore. Verum de hac opinione ſa-tis ſuperq; ediſſerui in noſtris ſcholiis, vbi docuimus ab aliis, vt à ſtoicis, locũ concipi pro interuallo pleno corporis. Has oẽs notiones proprias materiæ, Plato tranſtulit ad locũ, vt nobis planè ſi gnificaret locum continere, ſed contine re ita intellexit, vt locus proximus ſit cõ tento, quia inter vtramq; ſuperficiem, & continentis & contenti, nullum cadit me dium, ſed ſuperficies continentis & con ténti ſimul ſunt, quia ſunt proximæ, & attiguæ, non continuæ: attigua enim ſunt, quorũ extrema ſunt ſimul: cõtinua vero quorum extrema ſunt vnũ: ideoq; locus dirimitur, citra vllum medium à contento. Contentum porrò corpus, eſt naturale, quia nihil eſt in loco, niſi corpus, & omnis locus, vt dixi antea, oc-

cupatur

cupatur corpore, quia nullus eſt vacuus: non enim eſt in rerum vniuerſitate va-cuum, quia omnia ſunt plena corporis: notio tamen vacui, magnam habet co-gnationem cum notione loci: vt enim vacuum fingitur eſſe locus non plenus, hoc eſt priuatus corpore, ita concipitur locus eſſe quoddam vacuum plenũ cor pore mobili: proprerea corpus mobile latione, & vt ait Ariſto. κατὰ φορὰν, fuit cauſa, cur & locum eſſe aliquid cogno-ſceremus, & cur corpora eſſe alicubi opi-naremur: cum enim homines conſpexiſ-ſent corpora transferri, & mutare lo-cum, tunc eſſe locum, & occupari cor-pore crediderunt: non enim ob aliam cauſam cœlum eſſe in loco credimus, quàm quòd mutet locum, partibus vi-ciſſim ſuccedentibus in eodem loco. Nã vt corpus eſt in loco, ita mouetur, inquit Ari. hoc eſt motus corporis & locus ſunt

ſimul. Motus enim & locus cõſpirant, ſi
locus eſt poteſtate, vel actu, motus quo
que eſt actu, vel poteſtate: ideoq; corpo
ra, quæ mouentur, ſunt in loco, & viciſ-
ſim quæ ſunt in loco, eadem mouentur.
Ex quo coarguũtur illi mẽdacii, qui de
prauatè interpretando Ariſtotelis ſen-
tentiam, pronunciant, ſi corpus totũ eſt
in loco, totum etiam moueri, ſin autem
per partes, moueri per partes quoque.
Atqui ſeptem orbes cœleſtes mouẽtur,
& quãuis totus orbis ſit in loco, non ta
men totus mouetur, ſed partes: terra
itidem, & quodq; elementum totũ eſt in
loco, nihilominus totũ non mouetur, ſed
pars. De corporibus quę recta feruntur,
nemo controuerſatur, an ſint in loco, ſed
de cœleſtibus peruetus & perdifficilis
extitit quęſtio: habuit enim cœlum ſoli
citos multos philoſophos, qui diu mul
tum q; inquiſiuerunt, quo modo cœlũ cu

ius amplissimo sinu continentur, & in quo cũcta mouentur, sit in loco. Porrò cœlum, vt eius notionẽ rectè intelligamus, tribus modis ab Arist. cõcipitur: aut enim pro vniuerso, aut pro supremo orbe, aut pro cõplexione octo cœlestiũ orbiũ. Vniuersi quidem partes sunt diuisæ, qualia sunt elementa, atq; orta de elementis, & corpora cœlestia. Ponitur quęstio igitur, an vniuersum sit in loco, & supremus orbis. Esse quidem in loco necessarium est, quia sunt corpora, quę mouentur, sed quia extra vniuersum, & supremum orbem nihil est, neq; corpus aliud, neq; tempus, neq; locus, neq; inane quod contineat (siquidẽ sit propriũ loci cõtinere, & locati contineri) ideo non facile intelligitur, qũo sit in loco. Sanè vniuersum est in loco per suas partes, quę sunt in loco per se: partes. n. eius mutuò locãtur, vt terra ab aqua, &

aëre, aër ab igne, ignis ab orbe, orbis ab alio orbe. Nam totũ, quod vocamus vniuersum, nõ est in loco, quia totũ non mouetur, sed partes duntaxat. Sed vt mouẽtur corpora, ita sunt in loco quoq; nam motus in loco indicat modũ, quo quippiá sit in loco: vt corpora grauia & leuia tota mole sua mouentur, & iccirco per se sunt in loco: at corpora, quæ crescunt, & decrescunt sunt in loco per partes, quia tota mole non mutãt locum, sed partibus. Itaque quia vniuersum non mutat locum, propterea totum nõ est in loco, sed eius partes, quæ sunt diuisæ atq; diremptæ: de quibus (quod ego sciam) nulla fuit controuersia antiquitus, prçterquàm de illa, quæ vocatur orbis octauus, extra quem nihil est, quod locet, & contineat, ideoq; dubitatur quo modo sit in loco. Non nulli quidem grauissimi philosophi opinantur

esse in loco partes inuicem locatas. Sed hæc opinio (mea quidē sententia) euertit dogma Aristotelis, qui negat partes totius continui esse in loco, quoniā partes mouentur cum toto in toto: at corpus mobile mouetur in loco, non cum loco. Præterea locus separatur à corpore locato, sed partes continuatæ non separantur à toto, quocum sunt, quia totum non est aliud, quàm partes simul coactæ & coniunctæ. Aliqui verò comminiscuntur centrum terræ, per quod affirmant octauum orbem locari. Sed hoc commentum doctis viris minimè probatur, tum quia (vt inquit Aristoteles) corpus locatum debet attingere proximè locum: at centrum terræ quàm longissime abest à supremo orbe, tum etiam quia quod est indiuiduum, quemadmodum placet Aristoteli, locus esse non potest, quia corpus locatum est

diuiduum: sed hoc, & ille, debent inter se æquari. Verumenimuerò, vt aliorum plurium quoq; sententias de hac contro uersia prætermittam, non ab re fore reor, si breuiter, & perspicuæ, quid ego sen- tiam exposuero. Nemini igitur dubiũ est, quin aliqua corpora sint in loco pote state, vt cum dicimus partes corporis cõ tinuati esse in loco, quia in corpore non sunt, vt in loco, sed vt in toto, eædem di remptæ possunt esse in loco. Aliqua verò actu, quales sunt partes diuisæ à toto, vt grana in frugũ aceruo toto sunt actu. Aliqua sunt in loco per se, vt cor pora quæ loco mouẽtur, cuiusmodi, sunt illa, quæ rectà feruntur, vel sursum, vel deorsum, & quæ crescunt, aut decrescũt, licet sua mole tota non mutent locum. Aliqua sunt in loco κατὰ συμβεβηκός, id est per accidens, qualia sunt ea, quæ vel sunt in aliquo, vel accidunt alicui,

quod est per se in loco: ne longius abieris, anima est in loco per accidens, quia est in ipso corpore, quod est in loco per se: rursus affectiones per accidens sunt in loco, quia sunt in corpore, quod per se est in loco. His hunc in modum positis & constitutis diuisionibus, satis constat (vt mea fert opinio) orbem octauũ, neq; potestate esse in loco, quoniam eius partes nõ possunt diuidi, & ita esse in loco p se. Neq; actu, quia partes non sunt actu diuisæ. Neq; per se, quoniam, nec sursum, nec deorsum ipse fertur, sed circumtorquetur. Relinquitur ergo, vt sit in loco per accidens, siquidem ipsi locanti, & continenti alios orbes, & illos quidem, per se locatos & contentos, accidat locari quoq;, & contineri: vt vlna & medimnus, per se metitur, & numerat illa pannum, hic frumentum, & proinde accidit vtriquè numeranti, & metienti,

numerari quoq; & mensurari: vt cum dicimus tantum esse pannum, quanta est vlna, & vicissim accidit vlnæ esse tantæ, quantus est pannus, vel tantum frumentum, quantus est medimnus, atq; huic accidit reciprocari. Pariter & anima, quæ forma est, rectius dicitur continere corpus, quàm contineri à corpore, quoniã formæ proprium est continere. Sed dum continet corpus, interea illi accidit cõtineri à corpore. Et ideo Aristoteles huc mentis acumen conuertens, scripsit supremũ orbem ita esse in loco per accidens, quẽadmodum anima continetur in corpore: vt enim anima per se continet corpus, quia est forma, sed interea accidit contineri, dum continet, sic propemodum orbis supremus continet, & locat per se reliquos orbes, sed dum locat & continet, accidit interea ipsi locari vicissim & contineri.

Sed vt reuertar eò, vnde digressus sum, motus indicat locum esse aliquid, præsertim latio, quoniam locus est receptaculum corporum translatorum, hoc est introeuntium, & vicissim exeuntiũ, vbi enim nunc est aër, illic antea fuit aqua, & in eodẽ loco est tellus, in quo prius fuerant maria. Proinde Hesiodus locũ nominauit χάος παρὰ τὸ χῶ, quod est recipio, quasi sit χώρα, & χωρητικὸν, idest receptaculum omnium rerum naturalium. Nam Hesiodus existimauit nullum esse corpus naturale, quod etiam nõ sit in loco, & icci rco finxit hoc suum chaos fuisse antiquissimum, imò antiquius omnibus rebus naturalibus, vt enim essent in loco: oportuit prius fuisse paratum locum, vt inquit Aristoteles in quarto Physico. sunt tamen qui interpretentur chaos Hesiodi, vt Ouidius in Methamorpho. rudem & indi-

gestam molem rerum,& confusam,quam lite & amicitia opinantur fuisse digestam,separatamq;,& quasi sua forma ornatam,atq; expolitam, qualem ornatum conspicimus inesse singulis rebus,& simplicibus, & compositis. At simplicius interpretatur causam infinitam multitudine deorum repletam. Sed quòd mutatio loci corporum,fuerit causa,cur esse aliquid locum putaremus, veteres etiam philosophi attestantur,vt Democritus, Leucippus,& Metrodorus, qui sanè opinātur corpuscula indiuidua moueri,& iccirco finxerunt spatium inane, per quod illa temerè volitarent,ob id definiuerunt locum esse quoddā inane spatium. At roget quis,cur corpora mouentur ad loca propria, posita in alienis? An fortè id euenit, quia in loco est abdita *vis* quædam pelliciendi ad se corpora mobilia? Nam corpus spon-

te naturæ appetit proprium locum, & ideo locus eſt aliquid appetibile naturà, in rerum vniuerſitate: cuius rei illud eſt ſignum, quòd omnia corpora, aut ſimplicia, aut compoſita (niſi prohibeantur) ſuapte natura ad proprium locum ferri appetunt, alia ad ſuperum, alia ad inferum. Proinde non ſunt audiendi illi, qui putant corpora moueri ad locum ſuum propter vim totius, vt pars nimirum cum ſuo toto concilietur, & integretur, vt gleba cum tota terra. Nā quòd hæc falſa ſit opinio, motus rectus corporum indicat: quia omnia corpora ſemper rectà feruntur ad ſuum locum. Etenim ſi natura inſtitueret motum propter totum, tunc pars quouis modo, & quocunq; motu peteret totum, quia totum eſt vaſtum, & latum, qualis eſt vaſta tellus: at ſemper pars appetit lineam rectam quia grauia cor-

pora appetunt centrum terræ, qui eſt punctus, leuia veró ſuperum locum, qui eſt ſuperficies concaua orbis lunæ, vt inquit Ariſto. Non deſunt qui referant cauſam ad quendam naturalem appetitum, affingendi ſuperficiem loci continentis: ſiquidem conſeruantur, & exornantur à proprio loco, non minus, quàm materia à forma, cuius eſt appetentiſſima: inter locum namq; proprium, & corpus locatum citra vllam vim, eſt quædam naturalis cognatio, quia tangunt ſe mutuò & tanguntur, proinde agunt & viciſſim patiuntur: agit quidem locus, quia conſeruat, patitur verò corpus, quia conſeruatur. Nam locus eſt veluti totum, & forma, ſed locatum corpus eſt tanquam materia, quia proprium formæ eſt cōtinere, materiæ autē contineri. Equidem in eam mentem ſæpe fui compulſus, vt exiſtimauerim hu-

iusmodi appetitum naturalem fuisse insitum, vt is ordo vniuersi sempiterno tempore seruaretur, quem opifex summus disposuit ab æternitate. Ingenerata enim est vis leuibus corporibus, vt sursum ferantur, grauibus autem vt deorsum.

Patauii apud Simonem Galignanum Anno. M D LII.

PRÆFATIO IN APHO-
RISMOS HIPPOCRATIS.

IN MORE positum [illegible] & [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] acceptum est, ut qui professionem medicinæ [illegible] [illegible] [illegible] Theo- [illegible] Auctoris [illegible] horum [illegible], & Hippocratem, [illegible], & Galenum [illegible] de [illegible] constitutas [illegible] explanat. [illegible] modo [illegible] Commentarius LAVRENTIVS [illegible] PETREVS [illegible] Commentarii [illegible] [illegible] Philosophus [illegible] [illegible] authoritate, & [illegible]



PRÆFATIO IN APHORISMOS HIPPOCRATIS.

IN MORE Positum est, & multis iam ab hinc annis iussu Sãctissimi Senatus Veneti decretũ inuiolatè receptum est, ut qui profitentur eam medicinæ partem, quã recentiores medici nuncupãt Theoricem, totius triennii curriculo Auicennæ primum librum magni canonis, & Hippocratis Aphorismos, & Galeni artẽ medicã de hoc superiori loco studiosæ iuuẽtuti explanarẽt. Id quod prudẽter esse factũ animaduertentes maximi Gymnasiarchæ LAVRENTIVS Priulus Senator optim9, & PETRVS Franciscus Contarenus grauis herclè, & magnus Philosophus, quòs honoris gratia nomino, sua authoritate, & iu-

dicio comprobauerũt, ratumq; esse uo-
luerũt. Quocircà quũ mihi nihil aliud
unquam fuerit optabilius, quàm illis pa
rere, quibus & iure debeo, & cupio, non
commisi, vt aliquid officii in me deside-
rarent, aut ingratæ voluntatis, vel mini
mum iudicium agnoscerent. Vbi enim
cognoui iure decreti præsentem annũ
adiudicatum esse Aphorismis, tunc om
nes meos labores huc transtuli, & omnẽ
operam studium'q; conuerti. Conuer-
tisse autem vsq; adeo me sensi, vt nec cõ-
siliis commoueri, nec multis adhortatio
nibus amicorũ animus meus flecti, aut
auocari potuerit ad quippiam aliud,
quod ab hoc instituto uel minimum de-
clinare uideretur. Persuadere namq;
mihi conabantur fore operæpreciũ stu-
diosis medicinæ, præcipue rudibus, si à
magna methodo Auicennæ, in qua tra-
duntur rudimenta artis, hoc anno exor-

direr: atq; adeo ad meam dignitatē pertinere, si de laudibus medicinæ apud uos uerba facerē. Neq; illud me à mea sententia dimouere potuit, quoniā violare decretum esse nefas existimaui, neq; hoc tentare quidem volui: quandoquidem planè intelligerem nec meā dignitatem, nec locum, nec tempus postulare, vt vestros animos aliquo splendore orationis diu retinerem. Quin ad me potius, & ad rei vtilitatem spectare cogitaui, vt nonnulla veluti Progymnasmata prius exponerem, quàm ad explanationem Aphorismorum aggrederer, in quibus studiosam iuuentutem exerceri malo, quàm aliqua luculenta oratione delectari, & commoueri. Dicam igirur primum de nomine authoris, tum quia viri celebritas & nomen semp facit nos attētiores ad opera quæ cōscripsit, perlegenda, & explananda, tum etiam quia

eius uita nondum fortasſis (quod ſciā) à quoquam recte fuit illuſtrata. Deinde de eius hæreſi, cui ſe addixit, ut poſſimus illi eſſe ſimiles, quem nobis imitandum proponimus. Tum uero de genere ſcribendi, & forma docendi artem medicam: non enim omnes, q̃uis profiteātur eandem hæreſim, eodem quoq; docendi charactere utuntur. Deinceps disquiram, an ipſa verè ſit ars, aut ſcientia, & qualis finis, materia'q; illi ſubiecta ſit. Ad hæc operis inſcriptionem explicabo, in cuius poteſtate uniuerſam artis materiam, veluti in quodam ſpeculo contemplamur. Præterea ſcopus eſt ſtatuendus, ex quo intelligi poterit, & cur ad ſcribendos Aphoriſmos animũ adiũxerit, & quo ordine doctrinæ uſus ſit. Poſtremo de diſpoſitione non nihil dicam, an diſponendum ſit hoc opus inter Iſagogica, idq; vt ſtudioſi iuuenes

utilitatem planè cognoscant, quam inde percepturi sunt, mea quidem sententia, non mediocrem futurã. Itaq; huius operis authorem Hippocratem illũ magnum, artificem omnium bonorum, quæ ad medicam artem pertinent, extitisse memoriæ proditũ est: de cuius præstantia hodie verba facturus, quæso à vobis, vt tãtisper patiamini, donec eius ante actam vitam quàm paucissimis uerbis commemorem, ex qua me demonstraturum planè spero Hippocrate præstantiorem, ac fœliciorem post hominũ memoriam fuisse neminem. Tria quidem sunt, quæ hominem in hac breui lucis vsura præstantem, atq; fœlicem reddere posse iudicantur, & bona animi, & corporis, & fortunæ: quæ omnia in hoc vno Hippocrate natura conclusisse videtur. In primis quidem nobilitas generis, & patria, & opes, & honores vsq;

adeo insignes fuerunt, vt nemo dubitet ipsum fortunatissimum vixisse. Cõmemorat enim, & constans est opinio, ex familia Heraclidarum prodiisse, quæ originem duxit à Diis, & Ioue, & Aesculapio, à quorũ altero vigesimus, ab altero duode vigesimus fuit Hippocrates, quẽ admodũ locupletissimi sunt testes Eratosthenes, & Apollodorus. Propterea eius imaginem, cuius caput tegitur galero, sculpsit, & pinxit antiquitas, vt esset signum generis antiquissimi. Nam Aesculapius ille, qui propter artis inuentionem in numerũ Deorum relatus est, multos liberos procreauit, non solũ bonorum suorum omnium hæredes, sed etiam nominis paterni, qui Asclepiades cognominati Ioniũ mare inhabitarunt. Alii Rhodum insulam, alii Gnidũ unã de cicladibus, alii Coũ petierunt, in his diuersis sedibus singuli familias suas pro

pagauerunt. Nam Heraclides per insignis medicus in Coo duxit in vxorem Praxitheam Phanaretæ filiam, lectissimam sanè fœminam, ex qua natus est Hippocrates in Coo insula maris Aegei, in Pamphilia regione inter quartum, quintumúe clima diuinitus sita, ob id́ꝗ temperatissima, & omnium rerum feracissima anno primo octogesimæ olympiadis Abriada imperante, nō multo ante tempore, quàm Rhodia familia in Italiam migrauit, dicta deinceps Itala, ex qua prodierunt Philistius, & Pausanias: & quemadmodum alii dicti sunt Rhodii alii, Gnidii, aut Itali, ita Hippocrates à patria Cous est cognominatus. Positis itaꝗ sedibus singuli proprias familias longè, latèꝗ adauxerunt, atꝗ cœperunt inter se certare de studiis medicinæ, non ambitionis, aut inanis gloriæ desiderio, sed artis, quæ ha-

ctenus erat rudis, excolendæ studio cō-
pulsi. De opibus non est cur multa di-
cam, siquidem tot, & tantas possede-
rit, quot & quantas uir summo loco
natus, & omni genere uirtutum præ-
ditus desiderare potest. Cuius animi
bene compositi, & locupletis illud fuit
argumentum firmissimum, quòd im-
mensum auri aceruum missum per le-
gatum ab Artaxerxe Persarum rege con
stanter spreuit, atq; contempsit. Quid
commemorem summos honores, quos
apud multas gentes ueluti præmia suæ
virtutis consecutus est: mitto statuam
ex solido auro, quā in medio foro in eius
honorem Coi erexerunt. Mitto Thes-
salos, Argiuos, Athenienses, qui in
Eleusiniis alteri ab Hercule sacra pu-
blicè persoluerunt, & victum ex ære
publico, quod eo tempore fuit honori-
ficentissimum, ipsi, & suis posteris de-

creuerũt. Mitto ſepulchrum,quod ſtru
ctum eſt in eo loco,qui diſterminat Gir-
tonem, & Lariſſam Theſſaliæ vrbes ad
dimidiam viæ partem:in eius namq; ſe-
pulchro ferunt examen apum mellifican
tium cõſediſſe, quò nutrices ſumma cum
religione deferre ſolebant infantes pa-
tientes vlcera ſerpentia oris,quas Græci
ἄφθας nominant,vt melle diuinitus illiti
ſaneſcerent,quaſi dignus eſſet,cui non ſo
lum viuo,ſed etiã mortuo debiti tribue-
rentur honores,atq; ab eodem etiam vi-
ta repeteretur.Quid commemorem bo-
na corporis? inter quæ duo præcipua re
feruntur,& bona valetudo,& pulchritu-
do:ferunt enim Hipocratem centeſimũ
& nonũ ætatis ſuæ annum,ſine vlla mor-
borum moleſtia exceſſiſſe.Conformatio-
nẽ vero mẽbrorũ,& magnitudinẽ & nu
merum, & ſitum ita decentem fuiſſe, vt
venuſtas cum quadam incredibili digni

tate motus totius corporis coniuncta es-
se videretur. Deinde verò bonorum ani
mi, ad cumulum nihil accedere potuit,
quandoquidem omni disciplinarum, ac
virtutũ genere cumulatissimus cunctis
mortalibus laudẽ, pręripuisse credatur.
Orbatus enim parentibus, eo tempore
quo conflagrauit in Cnido insula gram
mato phylacium ex admonitione cuius-
dam somnii vt Thessaliam in habitaret,
patriam relinquens sibi proposuit in pri
mis viros doctos audiendos, & si opus es
set, longa peregrinatione sequendos. Au
diuit igitur Herodicum selebrianum, et
Gorgiam Leontinum, atq; etiam Demo
critum Abderitã ætate iã ingrauescen-
te, à quibus, & in philosophia, & in cæ-
teris bonis disciplinis homine libero di-
gnis fuit apprimè institutus: in his verò
quantum profecerit, rei euentus planissi
me comprobauit. Cum enim olim ante

tempora Aeſculapii ars medica eſſet in
cognita excepto quod rudis quædã her
barum cognitio habebatur, quibus ſuc-
currebatur morbis: tunc Aeſculapius iu
dicio acri, et diuino præditus redegit
omnia ad quandam artem, collegit enim
multa theoremata, et communia præce-
pta ſpectantia ad vnum finem, quæ qui-
dem quaſi per manus tradita ad poſte-
ros peruenerunt: deinde Hippocrates
artem adhuc inchoatam, quæ voce tan-
tum tradebatur, expoliuit, atq; perficit,
perfectãq; ſcriptis primus cõmendauit,
et priſcæ medicinæ ſummus artifex habi
tus eſt, ex quo magnus cognominari me-
ruit. Iã verò Theſſaliam cogitans, quò ip
ſum fata vocabant, ſcientiis præmunitus
continuo traiecit, vbi artis opus fælicisſi
me exercuit, et vxore ducta liberos duos
ſuſtulit, alterum Draconem alterũ Theſ
ſalũ, qui à patre nec moribus, nec doctri

na degenerarunt. Hic sane tale specimen suæ doctrinæ dedit et factis ipsis confirmauit, vt fama, et honore creuerit supra quàm dici possit in vniuersa Gręcia. Mitto Perdicam regem, & alios, quos à turpi tabe, & morbis grauissimis liberauit. Mitto Democritum, quem insanum vulgò creditũ, sanitati & pristinæ existimationi restituit. Mitto totam Atticam terram, quam à pestilentia defendit, & seruauit: præsentiens enim futuram ingentem putredinem aeris, prouidit, quo minus contagio inficeretur, multis ignibus ex lignis odoratis passim succensis. Immensi profectò & infiniti sit laboris, si velim eius egregia doctrinæ testimonia proferre: sed nulla sunt certiora, quã sexaginta illa volumina, quæ conscripta reliquit posteris, de vniuersa medicina, quorum magna pars temporis iniuria periit: ex quo non possum non mirari

de ſtupore quorundam hominum, qui de laude ipſi nihil non detrahere conati ſunt, aliqui quidem (meo iudicio) falſi inſcriptione operum, quæ ſub nomine magni Hippocratis circunferuntur: extiterunt enim multi quoque Hippocrates medici ſatis celebres, & Hippocrates, Cous Gnoſidici filius, huius auus ex familia etiam Aſclepiadis oriundus, qui ſcripſit librũ de fracturis, & articulis: & alter Theſſali filius, & tertius Draconis, qui Roxanem Alexandri pellicem curauit, & alii duo, vnus Thymbręi, & alter Praxinactis, ſed hi nullo modo conferendi ſunt cum magno Hippocrate, quem tota antiquitas admirata propter incredibilē erga ipſum obſeruantiam τὸν παλαιὸν .i. antiquum magiſtrum nominauit. Aliquos vero vt Iulianum, Alexandrinum qui 48 libros ſcripſit aduerſus Aphoriſmos, vt Lycum Macędonem, &

alios complures demonſtrauit Galenus inuidia potius commotos, quàm veritatis amore adductos ad calumnias deflexiſſe. At quemadmodũ natura ſciẽtiis cumulâtisſime ipſum exornauit, itaquoq; in moribus, & virtutibus ingenerandis illi nulla ex parte defuiſſe videtur, vt prętermittam alios grauisſimos mores, & virtutes præclaras, quibus erat præditus, fortitudinem tamen animi, & pietatem erga patriam non poſſum vllo modo præterire. Cum enim Atheniẽſes numerosum exercitum collegiſſent, vt eius patriã oppugnarẽt, & prorſus delerent, nõ dubitauit impetrato auxilio à Theſſalis ſe ſe opponere fortiter hoſtibus, quibus fuſis, & victis æternum monimentum fortitudinis, atq; pietatis reliquit. Prætermitto multa eius prudenter dicta, & ſapienter facta, ex quibus apparuit ſpecimẽ iuſtitiæ, tẽperãtiæ, cõtinẽtiæ & alia

rũ virtutum heroicarũ, de quibus pręstat vt ille dicebat de chartagine nihil quam pauca dicere. Sed quorſum hæc ſpectãt, quæ dicta ſunt de magno Hippocrate? eò ſanè ſpectare exiſtimabam, vt proponerem ſtudioſæ iuuentuti ideam optimi medici, in quam perpetuò intuens partim iudicare poſſet quantum ab illa medici noſtri huius infælicis ſæculi receſſerint, partim vehementius excitaretur, vt quoad eius fieri poterit proximius ipſa accederet, quandoquidem ſi non datur in primis, at certe in ſecundis, aut in tertiis conſiſtere ſit pulchrum, & honorificum. Proinde meæ ſunt partes iuuenes medicinæ cãdidati, vt eam uiam inſiſtam, quam hactenus patefecit vobis MONTANVS, & multo ante ipſum Galenus Pergamenus ad Hippocraticam doctrinam, propterea quòd nullam aliam, nec breuiorem

nec expeditiorem, nec tutiorem, nec iu-
cundiorem vestro frequentissimo conses
su proximis annis comprobauistis. Et
quemadmodum alterum quidem uiæ au
thorem, alterum vero ducem habuistis so
lertem, & experientē, ita me quoq; eius-
dem itineris fidum comitem antea non
aspernati, nunc & fidum, & dili-
gentem, & vestræ vtilita-
tis amantissimum
Christo auspi
ce Christo
experie
mini.


OTA Ars, & tota scientia veram distinctionem & differentiam capit à fine suo generali, pars verò eius capit à fine proprio & particulari: ideo quot sunt fines proprii, totidem sunt partes, & quemadmodum fines proprii ad unum communem & generalem referuntur, tanquam vltimum finem, sic partes ad suum totum. Iam verò in arte medicinali, finis generalis est ipsa sanitas, sanitas autem vel præsens custoditur, vel absens acquiritur. Hinc oriuntur duæ artis differentiæ, & summæ, & principes: nimirum ὑγιεινὴ, idest salubris & altera θεραπευτικὴ, idest curatrix pars. In salubri quatuor sunt fines, totidem igitur erunt differentiæ, nem-

pe φυλακτικὴ conſeruatrix, & ἐπανορ-
θωτικὴ, corretrix & ἀναληπτικὴ refe-
ctrix, & προφυλακτικὴ præſeruatrix:
curaratrix quidem eſt indiuidua: ha-
bet autem multos ordines, qui ca-
rent nominibus: nam diſtinctio cu-
ratricis in χειρουργικὴν & διαιτητικὴν
& φαρμακευτικὴν ſumitur potius ab
inſtrumento, & modo operandi, quàm à
fine, & eſſentia artis. Porrò cura-
trix eſt ars recta ratione profligan-
di morbos, recta ratio poſita eſt in
rectis ſcopis, & indicationibus cu-
randi. Pro cuius rationis intelli-
gentia illud eſt obſeruandum, quod
etiam obſeruauit Galenus in lib. ad
Thraſybulum: obſeruanda eſt enim
differentia inter ſcopum, & finem,
& indicationem. Finis quidem eſt
terminus, in quo ceſſat omnis a-
ctio, & in quem deſinit motus. Sco-

pus autem eſt, in quem dirigitur actio, & dicitur ἀπὸ τοῦ σκοπεῖν, hoc eſt à ſpeculatione: quia medicus id, quod primo, & ante omnia ſpeculatur, ſcopus eſt, & ex illa ſpeculatione acquirit rationem, quæ illi indicat, quid ſit agendum, quidúe ſequendum: ideo Galenus in lib. de methodo medendi definit indicationem eſſe τὴν ἔμφασιν ἀκολουθίας, ne longius abieris, finis medici eſt fruitio ſanitatis: ſcopus eſt ipſa ſanitas, ſpeculando igitur ſcopus, & naturam ſanitatis inuenit ſanitatem eſſe ſymmetriam, ex hac ſpeculatione oritur indicatio: indicatur enim ipſi quid ſit agendum, nimirum eſſe conſeruandum. Rurſus in oblatione cibi, & inſtituenda victus ratione ſcopus medici eſt virtus, ſiue vires. Itaq; medico ſpeculanti naturam

virtutis & robur virium indicatur cibum aut esse offerendum, aut subtrahendum, quia virium gratia nutrimus. Indicatio igitur est ratio dirigendi actionem, sumpta à natura scopi, siue à contemplatione scopi: Quemadmodum artis certandi cursu finis est victoria, scopus est meta, ad quam dirigimus cursum: sic medici scopus est vt sanet: indicatio est ratio conseruandi sanitatem, & auferendi illud, quod est contrarium sanitati: quia natura scopi indicat sanitatem esse conseruãdam, & morbum aduersum esse tollendum. Propterea qualis est scopus, talis est indicatio curandi: si scopus est generalis, hoc est contemplatio naturæ scopi, indicatio quoq; erit generalis, si scopus vnus, indicatio vna, si scopus simplex, indicatio etiam erit simplex, si scopi

multi, multæ erunt indicationes. Scopus igitur maxime generalis in parte curatrice eſt affectio præter naturam, ergo indicatio communisſima erit, vt auferatur id, quod eſt præter naturam, & inferatur illud, quod eſt ſecundum naturã. Scopi pariter diſtincti efficiunt indicationes diſtinctas, & proprias. Scopi igitur vt conſurgant diſtincti, ſemper ſunt diuidendi vſq; ad ſuas ſpecies indiuiduas, & vltimas, in quibus euadunt conſpicuæ, & diſtinctæ indicationes curandi. Exemplo diſtinctionem illuſtremus. Affectio quidem præter naturam eſt quoddam genus, & ſcopus generalis, ideo diſtinctione opus habet. Diſtinguitur ergo in morbum, aut in cauſam morbi, aut in ſymptoma. Morbus ſanè aut eſt partium ſimplicium, aut organicarum, aut vtriſq; com-

munis. Partium ſimplicium, aut eſt intemperies ſola, vel frigida, vel calida, vel humida, vel ſicca, vel ex his coniugata: aut cum affluxu materiæ. Partium verò organicarum eſt indecens aut conformatio, qualis eſt, vel figura, vel ſuperficies, vel meatus, vel cauitas: aut magnitudo indecens: aut numerus indecens: aut ſitus. Magnitudo, aut aucta vel in craſsitudinem, vel latitudinem, vel longitudinem: aut diminuta in gracilitatem contrariam craſsitudinis, vel breuitatem contrariam longitudinis, vel anguſtiam contrariam latitudinis. Numerus, aut excedens, vt ſextus digitus in manu, vt tertius teſticulus: aut deficiens, vt quatuor digiti, vt teſticulus vnus. Situs indecens, vt translatio partium à loco proprio. Iam verò ſimplicium pari-

ter, & organicarum partium morbus communis est solutio vnitatis. Hac quidem diuisione speculando affectionem præter naturam, & distinguendo scopum generalem euasi in species vltimas, quæ sunt scopi distincti: & quot sunt scopi, totidem nascuntur indicationes: sed quo modo nascantur, ad vsum reuocanti erit perspicuum. Affectio quidem secundũ naturam est qualitas in corpore rectè constituta, & quoddam symmetrum: ergo affectio præter naturam est qualitas, quæ deflectit à symmetro. Hinc nascitur scopus generalis, nimirum affectio præter naturam, & asymmetrum: ergo generatim indicat esse auferendũ asymmetrum, & restituendum suo symmetro. Deflectit autem, aut per excessum caloris tantùm, aut frigoris tãtùm, aut humidi tantùm, aut sicci tantùm,

& is excessus aut est cum affluxu mate-
riæ, aut sine affluxu. Si deflectat per
excessum solius qualitatis, tunc oritur
scopus distinctior, quàm primus, quia
indicat esse alterandum: nam longè di
stinctior est scopus, qui indicat esse al-
terandum, quàm qui indicat esse aufe-
rendum. Si verò deflectat cum afflu-
xu materię, indicat & esse vacuandum
ratione materię, & esse alterandum ra
tione qualitatis: nam duo sunt scopi,
materia & qualitas, ergo duæ indi-
cationes, uacuatio, & alteratio. Itaq;
quando affectio præter naturam est sim
plex, quæ scopus est, etiam indicatio
erit simplex. Si complicabitur scopus,
indicatio quoq; erit cõplicata: vt febris
diaria habet simplicem scopum, ergo
& indicationem: nam hæc affectio prę
ter naturam est iam facta, & nullam
habet causam efficientem, quia est

morbus immaterialis, siue sine materia. Iccirco indicat sui sublationem per remedium contrarium, nempe alterationem frigidam, quia scopus est forma febris. Medicus contemplando suam naturam cognoscit esse calorem natiuum mutatum in igneum in spiritibus, ideo indicatur esse refrigerandum, & humectandum. Age verò si ponamus scopos complicatos, dubium non est indicationes complicari: vt in febre, quæ ex humoribus putrescentibus accenditur. Hic sanè morbus habet causas sui ortus præsentes, quæ quidem sunt scopi, propterea medicū oportet illarum naturam speculari, vt ex speculatione inueniat indicationes curandi. Habet igitur huiusmodi febris materialis formam, & materiam, & efficientem, ergo sunt tres scopi. Forma est calor natiuus muta-

tus in igneum, quæ communis eſt cum natura omnium febrium : materia eſt humor, qui partim putruit, partim putreſcit, ſed nondum imputruit : efficiens eſt obſtructio meatuum. Quia igitur ſunt tres ſcopi, ideo totidem erunt indicationes curandi. Natura quidem formæ indicat eſſe alterandum remediis frigidis, & humidis, verbi cauſa, aëre inſpirato, & cibo & potu frigido, & aliis auxiliis ſimilibus, quæ intra corpus aſſumuntur. Materia verò, quæ putret, indicat eſſe ipſam cohibendam adhuc putreſcentem per alterationem, ſiue immutationem. Immutamus concoquendo, aut in melius tranſmutando, aut meatus obſtructos liberando : ſed natura eſt, quæ concoquit, & partem concoctam vertit in ſanguinem, veluti partem pituitoſam dulcem, aut ſi non poteſt

concoquere, in melius transmutat, vti in pus, si non potest in melius transmutare, reiicit: concoctionem tamen naturæ medicus adiuuat, quia natura est morborum curatrix, atque operatrix: medicus veró est minister, ministrat enim ea ipsa, quæ possunt adiuuare concoctionem, quæ est propriũ, & primum naturæ opus. Possunt verò adiuuare materiam concoquendam, aut illa: quæ crassam attenuant, aut tenuem attemperant, aut tenacem detergunt: hac eadem ratione liberantur meatus ab humoribus, nam & quę attenuãt, eadẽ quoque aperiũt. Materia ergo indicat aut immutationẽ, siue concoctionẽ eius, quæ putrescit, aut vacuationẽ, quæ putruit. Vacuatio quidẽ duplex est, aut vniuersalis, aut particularis. Vniuersalis vacuat corpus uniuersum. Particularis vacuat certas partes

corporis, vel caput, vel pulmones, vel alias particulas. Vniuersalis rursus, aut simplex est, aut composita. Simplex aut vacuat simpliciter totum corpus, vt secta vena cubiti fundit sanguinem à toto corpore in febre putri, citra vllam reuulsionem & deriuationem: aut vacuat non simpliciter, sed aut per reuulsionem, aut per deriuationem. Reuellimus in ægris corporibus in eum finem, vt materiæ fluentis cursum inhibeamus, ne ipsa feratur, aut per locum incommodum, aut in locum affectum defluat. In corporibus verò sanis reuellimus, vt humores assuefaciamus ferri in partes contrarias, quemadmodum Galenus docet in secundum lib. De natu. huma. ex quo usu & fine liquidò constat notio reuulsionis. Est enim reuulsio motus vehemens, actus in partes distantes, à parte affecta, atque

adeo contrarias , seruata quoad fieri potest, & vbi opus est rectitudine, & consensu ductuum, & uenarum. Quòd sit motus vehemens, illud argumento est, quòd vehementissimos fluxus humorum prohibet, vt immoderatum sanguinis impetum è naribus cucurbitula suffixa hypochondriis sistit. Idq; præsertim, cum ad longissimas partes materia reuellitur: vt phlegmone occupante hepar, aut ventriculum, aut intestina, nullus medicus sanæ mentis exhibebit medicamenta, quę aluum deiiciant, & vacuent, neq; vtero inflammato vrinam citabit, sed reuellet, quàm longissimè fieri poterit sectione venæ. Itaq; partibus pudibundis affectis, vomitus auxilio est: & capite affecto, alui subductio prodest. Et phlegmone orta in manu, crurum arctissima deligatio iuuat, & genu inflammato, vena interior, vel

media cubiti, vtiliter secatur. Non solum in reuulsione seruanda est distantia, sed etiam contrarietas, vt eius nomen etiam indicat: à Galeno enim nominatur ἀντίσπασις, à Latinis apposité reuulsio: à recentioribus medicis tum auersio, tum diuersio. Reuulsio itaque significat motum ad partes contrarias seruata diametro, aut secundum longitudinem infra supráque, aut secundum latitudinem hinc inde, aut secundum altitudinem antè retrò. Secundum longitudinem, ut oculis lippientibus clysteria in aluum data reuellunt, vt inquit Gale. in sextum Apho. 17. & vbi menses ab vtero erumpunt, suffixa mammis ingenti cucurbitula, reuelluntur. Quod genus vacuationis etiam natura molitur, vt testatur Hippocra. & Gale. in. 5. Aphoris. 32. nam mulieri sanguinem vomenti men-

ses superuenientes remedio sunt: reuel-
lit enim natura secundum longam dia
metrum in contraria loca. Proinde quã
do sanguis fluit è dextra nare, cucurbi
tula adfixa in regione hepatis, tunc
iuuat: quando fluit ex sinistra, lienis par
ti: quando ex vtraq; nare, in vtraq;
regione vtriusq; visceris vtiliter suf-
figitur: aut vena eiusdem partis af-
fectæ secta idem remedium præstat: &
præcipue si per interualla ducatur san
guis pro robore virium, vt Gale. præ-
cipit in. 5. meth. med. Hippocrates quo
que affecto calce vacuat per supernas
partes, propinato Elleboro albo, vt hu-
mores decumbẽtes ad infernas reuellat.
Sed vacuatio per Elleborum album,
vitanda est in illis corporibus, quæ abũ
dãt succis multis, & crassis, & tenacibus:
quia Elleborus albus strangulat, non va
cuat. Vtebatur quidem Hipp. quia suo

tempore homines aſſueuerant victu te-
nui & frugali, proinde perpaucos hu-
mores aggerebant, ut ait Gal. in lib. de
frac. com. 2. Aphoriſm. 27. qui pariter in
hiſchiadicis per vomitum purgat, quia
humorem deſcendentem deorſum, re-
uocat ſurſum, is planè reuellit, vt inquit
Gale. in. 10. κατα τόπους. Simili quoq;
rationis modo in doloribus oculorum
data fortia clyſmata in aluum, aut ſi abũ
dantia ſanguinis facit dolorem, vena ex
terior cubiti pertuſa reuellit, vt Ga-
le. inquit in ſextum Epid. com. 6. Aph.
5. & in. 2. κατὰ τόπους. Secundum verò
altitudinem, vt in doloribus oculorum
affixa cucurbitula occipitio, materia
probè reuellitur, vt inquit Gale. in. 5.
Aphor. 69. Incipiente inflammatione
occupare partem poſteriorem capitis,
aut dolore eandem exercente, vena ſe-
cta frontis recta reuellit, quia molimur
reuul

reuulſionem, vt ſanguinem ducamus. Porrò dicitur recta non propter figuram ſectionis, ſed quia fertur rectà per frontem, & ad illam cæteræ venæ confluunt, vt obſeruauit Gal. in. 6. Epidem. com. 2. Apho. 9. & 27. Secundum latitudinem, vt affecta phlegmone manu dextra, ſecta vena cubiti ſiniſtri reuellit, pariter, qui affecta ſiniſtra, ſecat venam dextri cubiti, is reuellit. Nec contrarietas modo, ſed etiam (quantum poteſt fieri) rectitudo in reuulſione affectanda eſt. Rectitudo autem ab Hippocrate dicitur ἴξισ à Galeno δι'θυορία, ideſt loci, qui è regione eſt quaſi mutuus reſpõſus, aut per corporis longitudinem, aut latitudinem, aut altitudinem, vt docet Galenus in lib. de frac. com. 3. Aphoriſmo 10. eſt enim rectitudo duplex, vna eſt rectitudo ſitus, altera eſt rectitudo fibrarum. Re-

ctitudo ſitus, eſt illa, quæ ſeruatur in ipſa diametro. Propterea quæſitum eſt à pleriſq;, vtrum rectitudo ſitus ſeruari poſſit, & debeat in reuulſione. Pro cuius quæſtionis intelligentia, & diſſolutione, eſt cognoſcendum diſcrimen, quod cadit inter vacuationem directã, ſiue per directum, & vacuationem diuerſam. Omnis enim vacuatio in latus directum vt ſalubris eſt, ita in diuerſum, & contrarium partis affectæ, eſt inſalubris: verbi cauſa in tumore præter naturam, qui exercet lienem, ſanguinis profluuium ex dextra nare malum eſt, ex ſiniſtra bonum. In tumore hepatis, ſanguinis vacuatio ex dextra nare, eſt ſalubris, ex ſiniſtra, inſalubris, quia illa vacuatio eſt directa, & hæc eſt diuerſa: in illa ſeruatur rectitudo ſitus, in hac non ſeruatur. Ex quo loco, duo poſſumus annotamenta colligere. Pri-

mum quidem, in pleuritide illam opinionem, quæ profitetur ſanguinem eſſe mittendum à parte affecta ſiue directa, & non diuerſa, mínime eſſe contemnendam, nec aduerſari vndequaque dogmatibus Galeni, quia medicus ſemper debet imitari naturam rectè operantem: nam vacuatio directa, quæ fit ſponte naturæ reuellentis, ſalubris eſt, diuerſa verò eſt inſalubris. Alterũ eſt, quod vacuatio directa (meo quidem iudicio) pertinet ad reuulſionem mixtam cum deriuatione. Diuerſa verò ſpectat ad reuulſionem omnino ſimplicem: quia in vacuatione diuerſa, quàm longiſſimè à loco affecto, & contrariè vacuamus: in directa ſequimur vacuationem non admodum remotam, ſed propinquam loco affecto, vt inquit Gale. in. 3. prorrh. 33. Propterea medicus, qui affecto liene tumore duro,

ſecta vena ſiniſtrę manus ſtudet ſuccurrere, is reuellit ſimul & deriuat, quia vacuat vt verbis Galeni vtar, καθ' ἴξιν. Quod autem hæc non ſit ſimplex reuulſio, ſed mixta cum deriuatione, ex eo conſtat, quòd ab eadem parte affecta molimur vacuationem, quæ deriuatio eſt, ſi quidem á contraria fiat reuulſio. Quòd rurſus ſit reuulſio, declaro pari ſimilitudine. Nam Sabinus antiquisſimus medicus ſcribit, vbi ſanguis è naribus profluit immoderatus, ſectam venam brachii iuuare, quia inquit ille, nos reuellimus & reuellendo inhibemus profluuium ſanguinis. Certũ autem eſt illum, ſi profluat è dextra nare, iubere ſecari venam dextri brachii: ſin autem è ſiniſtra, ſiniſtri, quia hic eſt motus naturæ, quam ſemper debet medicus imitari, vt nuper admonebam: ergo non eſt ſimplex reuulſio, ſed eſt iun-

cta cum deriuatione. Ex quo perſpicuũ eſt directionem, ſiue rectitudinem ſitus in ſimplici reuulſione non eſſe neceſſariam, vt videtur etiam ſentire Gal. in 6. Epid. com. 3. Apho. 22. Rectitudo verò fibrarum (quoad fieri poteſt) reuulſioni eſt neceſſaria, quam natura quoq; ſeruat. Verum ipſa rectitudo fibrarum, quam ſeruat natura in reuulſione, eſt cognitu quàm difficillima. Vt varices, ideſt venæ dilatatæ plus iuſto in cruribus, curant furorem, facto defluxu à natura per rectitudinem ſiue in directũ. Sed non poteſt planè cognoſci, an affectis dextris partibus, an ſiniſtris ipſius cerebri, furore perciti ſint, & à parte affecta fiat ille defluxus naturalis. Rurſus inſaniam ſæpe numero curant mariſcæ, nobis tamen non eſt compertum, an id per rectitudinem fibrarum fiat. Item per vterum copioſa

vacuatio ſanguinis morbos multos ſa-
nat, ſed planè cognoſci nõ poteſt, vtrũ
per uenas partis dextrę vteri, vel ſiniſtrę,
vel per venas vtriuſq; fiat excretio, vt
ait Gal. in .6. Epid. com. 2. Aphor. is.
Veriſimile tamẽ eſt, ſeruari rectitudinẽ
fibrarum à natura, quia promptior eſt
vacuatio per fibras rectas, quàm per
obliquas, & minime ſequaces & obſecũ
dantes profluuio materiæ vacuandæ.
Conſenſus ductuum, & venarum non ſo
lum in reuulſione ſeruatur, ſed etiam in
omni vacuatione: vt caua pars hepatis
per inteſtina commode vacuatur, gib-
ba ſiue conuexa eiuſdem viſceris per ve
ſicam & renes. Et fluentibus menſibus
ſupra modum, cucurbitula quàm maxi-
ma, firmata ſub mammas, hoc eſt in par
te inferiore mammarum ſuccurrit, & il-
los citò ſiſtit, ſi quidem ſint venæ ab vte
ro ad mammas pertinentes & conſen-

tientes. Quid ergo ſit reuulſio ſimplex, & quid mixta, ſatis liquere arbitror. Mixta nobis vſui eſt, quando materia partim fluit, partim fluxit. ſimplex eſt vtilis ad materiam fluentem, vel fluxuram: vbi enim materia loco inhæſit, tunc deriuare eſt vtile, quia à loco vicino promptior & celerior fit vacuatio & attractio: quando fluxura eſt, tũc fælicius reuellitur in partes cõtrarias, vt inquit Gale. in .4. & .5. meth. med. ſed qui nouit ſimplicem reuulſionem, & ſimplicem deriuationem, idem cognoſcet mixtam & ambigentem inter vtranq; vacuationem. Nam deriuatio eſt motus artificioſus actus ad loca vicina. Propterea humores à parte affecta, quàm proxime deriuamus ad uicinas, quemadmodum etiam reuellimus ad remotas. Proximum locum, à quo deriuamus, appello propinquum ſedi

affectæ, vt in affectibus vesicæ, & renum, deriuamus per aluum: in affectibus intestinorum per vrinam, in mulieribus per vterum. In profluuio vteri deriuamus aut per vesicam, aut per aluum, vt Gale. ait in. 6. Epid. com. 2. Aph. 7. fluxiones ad oculos, ad fauces, ad aures, ad palatum deriuamus per nares, in angina inflammatis musculis gulæ, secamus venam sub lingua, aut humerariam, aut mediam: ideo inflammationibus incohantibus vtimur reuulsione: ipsis autem vigentibus, quia materia iam est firmata & loco inhæsit, vtimur deriuatione: quia quærimus loca vicina sedi affectæ. Cæterum in vacuationibus est ordo, qui rerum quasi essentia, & disciplinarum omnium veluti anima & forma est. Nam medicus vtitur tribus instrumentis, diæta, chirurgia, & pharmacia, in quorum vsu, necessarius est or-

do: vbi enim his tribus medico necessa-
rium est vti, principio præscribenda est
victus ratio, quæ vacuat per accidens,
deinde vacuandum est corpus, aut per
pharmaciam, aut per sectionem venæ:
sed vacuationem per sectionem venæ
prius aggredi oportet, quàm per phar-
maciam, vt præcipit Gale. in. 6. Epid.
com. 1. Aphor. 5. sed vacuatio per phar-
maciam non semper eodem modo admi-
nistratur: nã alio modo infantes purga-
gamus, quàm natu grandes: qui enim in
fantem medicamento vacuare tentat, is
medicamentum purgans exhibebit, aut
matri lactanti puerũ, aut capræ, vt docet
Gal. in. 6. Epi. com. 5. Aph. 35. Nos porrò
tũc opus habemus vtroq; instrumẽto, &
sectione venæ, & pharmacia, quãdo cor
pus abundat humoribus ex æquo: primo
itaq; ordo postulat, vt ducatur sanguis,
deinde vt propinetur pharmacia, quæ

vacuat humorem abundantiorem, hoc eſt magis affluentem, qui quidem ordo ſeruatur à Gal. x. κατὰ τόπους in ratione curandi podagram. Nam humoribus, qui ex æquo augentur ſeruata inuicem proportione Hippocra. auxiliatur miſsione ſanguinis. Vbi vnus abũdat (ſanguinem excipio) vacuandum eſſe iubet medicamento purgante Gal. in 2. Aph. 8. at ſi ſola qualitas intendatur, ſeruata iuſta mole non vacuare, ſed attemperare medicamentis alterantibus qualitatem excedentem ſuadet Gale. Sed longè facilius eſt, & tutius vti ſectione venæ, quàm pharmacia, aut diæta. Quòd ſit tutior vacuatio per ſectionem venæ, quàm per pharmaciam, multæ concurrunt cauſæ. In primis, quia natura indiuiduorum, quæ vacuanda ſunt, non cognoſcitur: alii enim difficile vacuantur, alii vacuantur

ſumpto vel leui medicamẽto, ideo pericu lũ ſemper incumbit tibi, ne aut nihil va- cues, aut plus iuſto vacues, aut non ſuffi ciẽter, et integré. Hęc omnia errata, quę committi poſſunt, pariunt graues offen ſas, præcipue ægris laborãtibus morbo acuto, vt Gale. inquit in .2. de rat. vic. ac. xi. Deinde medicus habet poteſta- tem ſiſtendi ſanguinẽ, ſed oblatio phar maci eſt ſita quidem in poteſtate, ſed vbi illud eſt oblatum & ſumptum intra corpus, non eſt etiam in poteſtate medi ci, vt reuocetur, quin omnia fortuna ad miniſtratrice obtingũt. Tum verò phar macia eſt periculoſa: aut enim attracta in aluum non facile excernitur, aut ſal tem cũ dolore & torminibus excernitur, & plerumq; cum animi deliquio. Ad hæc ſectio uenę eſt facilior, quia facilius dignoſcitur menſura ſanguinis mittẽdi. Dignoſcitur autem vel ex mutatione

coloris, vel ex mutatione pulſus, vel ex vigore ſanguinis langueſcente. Erratum vero, quod committitur in diæta, eſt grauisſimum, quale eſt, quod plerũque committi ſolet in menſura cibi: quemadmodum corpora extenuata & imbecilla oſtendunt: is enim, ſi cibus parcior offeratur, quàm par eſt, virtus tabeſcit, ſin modus excedatur, naturæ potius eſt oneri, quàm alimento, caloremque extinguit, & ſuffocat, ut inquit Galenus in libro aduerſus Eraſiſtratum. Sed vacuare corpus totum vel partem prius non expedit, quàm præparaueris, & fluidum feceris: ideo præcipit Hippocra. vt corpora, quæcunque vacuare volumus, aut per aluum, aut per os, prius fluida faciamus. Fluida tunc fiunt, cum humores parantur aut per attenuationem craſſorum humorum, aut deterſionem tena-

cium & incisionem, aut attemperationem, aut cum viæ & meatus redduntur expeditiores, si fortè aliquo corpore obsideantur. Propterea Hippocrate admonitore, qui purgaturus est corpus Elleboro, is debet balneis vti, aut eodẽ die, quo sumpturus est Elleborum, aut pridie, quàm sumat, aut loco balneorum vti rebus humectãtibus, vti alimento & quiete, id'q; vt minori negotio, & citius humores possint vacuari. Vt igitur corpori fluido cedit fœliciter vacuatio per pharmaciam, ita non fluido infœliciter. Quia cum medicamentum attrahit, tũc oriuntur tormina, vertigines, fastidia, malus pulsus, ac exolutio virium & difficultas. Ille quoq; dicitur corpus fluidũ facere, qui anteq̃ secet venam, clysmate, aut cassia fistulosa, * lenit aluum, ne materia, quæ residet cruda, aut in intestinis, aut venis mesenterii, rapiatur

in venas, quia sectio venę trahit à cētro corporis ad totum eius ambitum. Non satis est medico cognoscere species vacuationis, & ordinem vacuationum, sed oportet semp in omni genere vacuationis proponere sibi scopos quinq;, quos etiā habet sibi propositos philosophus moralis. Primus est, quid sit agēdū, secūdus, quātū sit agēdū, tertius, quo modo, quartus, quando, quintus, vbi. Quid sit agendū, indicat substantia siue essentia morbi, vt febris diaria, vt febris hectica, indicat esse alterādū, quia vtraq; species febris est immaterialis, & habet solā formam. Febris verò putris indicat esse alterandum & vacuandum, quia habet formam, ideo alterandum est, quia habet materiam, ideo est vacnandum. Ergo materia & forma morbi, ex qua consurgit tota essentia, indicat, quid sit agendum. Quantum sit agendum, indicat

virtus, ætas, tempus anni, temperamentum: ad anni tempus, constitutio cœli & regio referuntur: habitudo corporis ad temperamentum: magnitudo morbi ad virtutē, quia ex collatione roboris viriū cum vehementia morbi, indicatur quantum sit agendum. Sunt enim in corpore humano virtus & morbus veluti duo tyranni: morbus quidem indicat quid sit agendum, sed virtus præscribit mensuram actionis, quia est veluti architecta, ideo dicebat Galenus virtutem indicare auxilia, hoc est non prohibere, quod non est aliud, quàm moderari: morbum vero indicare oblationem cibi, hoc est non prohibere, quia virtus est illa, quæ propriè indicat oblationem cibi, siquidem ægros nutriamus virtutis gratia. Et si enim natura morbi indicat vtendum esse larga missione sanguinis, nihilominus virtus prohibet, & in-

dicat sanguinem esse ducendum multis vicibus, non simplici vice, quia vires nõ ferunt. Argumento nobis est illa matrona, cui Galenus primo duxit sesquilibram sanguinis, idest libram vnam, & dimidiatam, deinde libram integram, postremo paulo plus selibra, idest octo vncias: subducta ratione inuenio duxisse triginta octo vncias sanguinis. Cognouit esse necessariam hanc largam vacuationem, ex venis extantibus, & turgidis, atq; ex substantia sanguinis, qui instar picis liquidæ effluebat. Temperamentum quoq; indicat quantum sit vacuandum. Vt qui habent venas latas, & habent carnem duram & nigriorem, patiũtur vberiorem vacuationem, quàm qui habent venas angustas, & carnem molliorem, & albidiorem: quia dura caro est magis contumax resolutioni, quàm mollis. Præterea partes carnosæ
mino

minorem tolerant vacuationem, & alte rationem, quàm venosæ, & venosæ, quàm arteriosæ, & arteriosæ, quàm neruosæ, & neruosæ, quàm chartilaginosæ, & chartilaginosæ, quàm ossosæ. Aetas sequitur temperamentum, non enim alia de causa vacuationem per sectionem venæ euitamus in pueris, quàm quòd sunt temperamenti calidi & humidi, & molles carne, ideo facile dissoluuntur, quamuis habeant vires firmas & robustas. Tempus anni proportione respondet temperamento & ætati, vt in extremo frigore, & summo calore vacuatio omnis, tum per venæ sectionem, tum per pharmaciam molesta est: per sectionē venæ in summo calore molesta est, quia vires sunt exolutę: in summo frigore, quia venæ sectio rarefacit corpus, proinde frigus penetrat, & lædit partes principes corporis. Per phar

maciam est molesta sub cane & ante canem tribus de causis. Prima est, quia natura exusta non patitur acritudinem medicamenti purgantis, quia omne medicamentum purgans est calidum & siccũ. Quod non patiatur acritudinem, illud est euidentissimum signum, quod purgati in ea constitutione aeris etiam sanissimi incidunt in febrem. Altera causa est, quia natura reddita imbecilla propter insignem exolutionem spiritus, plus atque plus exoluitur à purgatione. Tertia causa est, quia motus cientur contrarii: nam medicamentum purgans trahit ab ambitu ad centrum, æstus verò à centro ad ambitum corporis, ob hanc vnam causam balnea calidæ creduntur obsistere purgantibus medicamentis, quia balnea trahunt à centro ad ambitum. Quo modo, indicat & proprietas indiuiduorum, & con-

ſuetudo, & vitæ induſtria: proprietas, quia ſunt, qui ſanguinem vſq; adeo formident, vt facta etiam eius mentione cadant in animi deliquium: ſunt & qui abhorreant casſiam, ſunt qui agaricum, ſunt & qui aſſumpto ſcamoneo in dolorem colicum incidant, ſunt qui alias vacuationum materias non ferant propter occultas inimicitias inter naturam humanam, & medicamentum, ac remedium. Vitæ induſtria modum curandi etiam indicat, nam alio modo curamus ruſticum, foſſorem, aratorem, meſſorem, quàm regem, aut alium agentem vitam vmbratilem, alio modo negotioſum, quàm otioſum virum. Conſuetudo magnas habet vires, quia eſt altera natura acquiſititia, ſunt qui promptius misſione ſanguinis liberari conſueuerint, quàm pharmaco: alii ſunt, qui laborãtes febre, ſi vino interdictum ſit,

aut eo genere cibi, quo vti consueuerũt in deterius proficiant. Quando sit agendum indicat tempus morbi. Tempus autem vel est generale, vel est particulare: sed à tempore non sumitur indicatio curandi, qua tempus est, vt Gal. testatur in tertio Art. med. sed à tempore, quatenus corpus hoc tempore est aliter affectum, quàm alio tempore. Operæ tamẽ precium est cognoscere indicationem sumptam à tempore morbi, & contemplari eius naturam, ex qua contemplatione nascitur indicatio, quia fieri potest, ut medicus cognoscat quid agendum sit, & quantum, & quo modo, sed quando opportunum sit agere, nesciat, vt an inter morbi initia, antè quàm morbus maturescat, ueluti quando materia turget, & natura gubernatrix animaliũ properat ad excretionẽ humorũ, an post concoctionem humorũ noxiorum, vt do-

cet Gal. in .6.Epid. com.2. Aph.33.nec ſolum oportet ſpeculari naturam tempo ris generalis,ſed etiam particularis, ut in acceſſionibus, à cibo abſtinendũ eſt, & in incremẽto & in vigore,ſed tempus opportunius eſt remiſſio,aut ipſa integritas. Vbi ſit agendum,hoc eſt inuentionem loci à quo,& in quo,& per quem quippiam moliri medicum oporteat,indicant ſitus partium corporis, ſimul & conſenſus venarum.Naturam ſitus, diſtinctam ſpeculari oportet,non enim ſatis eſt ſcire eſſe vacuandum per ſupernas,aut infernas partes, ſed certam partem,& definitam cognoſcere oportet,& vt cognoſcamus, definiendus eſt locus medius,ſiue ſitus medius in corpore. Situ ergo mediũ cõſtituit Gal.in .6. Epid. com.primo Aph.5. & .6.Aph. 36. renes. Omnis igitur pars ſupra renes erit ſuperior,qualis eſt caput, pulmones, iecur

& ſeptum tranſuerſum: infrà renes erit inferior, cuius modi eſt lien, vterus, inteſtina, ideo in omnibus affectibus, qui deſiderant deriuationem per ſectionem venæ, ſi fuerint infra renes, eſt vena ſecanda in cruribus, aut in poplite, aut in maleolo. Sin autem fuerint ſupra renes, pertunditur vena in cubito. Conſenſus autem venarum & ductuum ſpectandus eſt, ſi partes habeant ductus. Conſenſus porrò eſt affinitas loci cum loco, à quo vacuatur materia, ideo pituita in ventriculo fœliciter vacuatur per vomitum non per deiectionem. Eadem ſi adhæſerit inteſtinis vacuatur per aluum, non per vomitum, propter affinitatem locorum, & materia reſidens in concaua parte hepatis commodè vacuatur per inteſtina & meſenterium. Eadem in conuexa & gibba vacuatur per renes & veſicam: & cerebrum per pala

tum, per gargareonem, nares, oculos. Thorax & pulmo per tusses: lien & renes per vesicam. At verò fingamus in angustis finibus vasorum hepatis humores crassos, vel lentos, vel abundantes esse: natura quidem humorum indicat vtendum esse cibo attenuante, & incidente. Abundantia verò indicat vacuationem: situs loci & consensus ductuum indicat esse attrahendos ad venam cauam medicamentis habentibus vim attrahendi, deinceps vel ad ventrem, vel ad renes & vesicam, vt vacuentur per vrinam. Intestina per deiectionem alui vacuamus sumpta indicatione à consensu ductuum cum loco affecto. Nec solũ in vacuatione per pharmaciam, sed etiam per sectionem venæ consensus viarum cum loco affecto est seruandus: si enim venas, quæ minimè consentiunt cum loco affecto, pertunde

remus, tantum abesset, vt parti ægræ suc currerem us, vt sanã maximè læderemus. Exemplo rem illustremus. Mulierẽ post partum tremore correptam, quia sanguinem & secundas expurgare non poterat, sumpta indicatione à consensu partium, Hippocrates librerauit: cum igitur præ grauitate sanguinis & secundarum tremeret (tremebat autem, quia facultas motrix debilitabatur) tunc secta vena maleoli continuò à morbo conualuit: siquidem sit mirus consensus venarum maleoli cum venis vteri: cuius rei illud est signum, quòd vtero laborante multum conducit secta vena poplitis, aut maleoli propter commertium venarum. Hoc autem commertium & consensus dignoscitur ex situ partium, natura ergo situs, & consensus indicat loca conferentia ad vacuationẽ. Dixi nuper & ductus indicare (si du-

ctus efformati ſint) nō ſine cauſa, qa ſunt, loca plerunq; cæca & meatu priuata, vt locus inter peritonæum & cutim. Vbi ergo loca cæca ſunt, tunc medici intereſt aut materiam reſidentem in loco cæco per halitum digerere, aut viam illi artificio parare. At ſi materia per ductus, qui feruntur ad principes partes, à natura propellatur, tunc à medico eſt reuocāda & auertēda ad partes ignobiles, quia non eſt operæ precium obſecundare naturæ malé operanti. Itaq; indicationes curandi & vacuandi ſumuntur à ſpeculatione naturæ quinq; ſcoporum, à ſubſtantia, á quantitate, à qualitate, à tempore, à loci inuentione. Verumenim verò quando indicationes ſunt ſimplices, tunc curatio eſt facilis: quando ſunt cómplicatæ, & multiplices, curatio eſt difficilis. Ab illis tamē curationis initiū ſumendum eſt, ſine quibus reliquas per

ſequi commode non poſſumus, & ſine quibus alterum quippiam curari non poteſt. Verbi cauſa indicatio febris putris duplex eſt ſumpta ab eius eſſentia: nimirum à forma, & materia. Forma indicat alterationem, materia verò vacuationem. Eſt ergo primum vacuanda materia putris, quæ fecit febrem, deinde calor igneus eſt alterandus, quia ſæpe etiam vacuata materia febris adhuc permanet. Sunt tamen aliqui morbi, qui tolluntur, cum ſua materia, à qua pendent, perinde ac lumen à ſole, vt apoplexia, vt inflammationes. Indicationes igitur omnes qualeſcunque ſint, neceſſariò pertinent ad vacuationem, vel alterationem. Remedia, quæ vacuant, trahunt eminus: quæ alterant, nihil efficiunt, niſi penetrent, & attingant locũ affectum: alterant autem, quæ habent vim, aut calefaciendi, aut refrigerandi,

aut humefaciendi, aut ſiccandi. Vt ergo penetrent, ſunt deligenda illa remedia, quæ ſunt tenuium partium non craſſarum, quia crasſitudo impedit penetrationem, meatus enim claudit. Iam verò ſunt tenuium partium, quæcunque natura poteſt in tenuisſimas partes comminuere, & reſoluere. Vt ex calidis acria, ſunt tenuioris ſubſtantiæ, quàm amara: cuius rei illud eſt ſignum, quod citius penetrant & facilius reſoluuntur, & minus calefaciunt, quia amara nituntur ſubſtantia craſſa & diutius agunt. Ideo diatrionpipereon non tranſit venas meſenterii, quia vis calefaciendi nititur partibus tenuibus, & eſt ſimilis flammæ, quæ accenditur in palea. At diaſpoliticon vehementius calefacit, quia facultas calefaciendi fundatur in materia crasſiore. Ex frigidis, acida ſunt tenuium magis partium, quàm acer-


ba,auſtera,ſtyptica. Ex humidis, quæ habent aqueam ſubſtantiam, craſſiora ſunt,quàm quæ obtinent aeream,vt oleũ magis penetrat,quàm aqua, quàm vinum,quia aqua habet ſubſtãtiam aqueã, oleum aëream: ſed præcipue penetrat oleum,quod habet iunctam ſecum mediocrem ſtypſim, quia ſtypſis illa veluti manus quædam prætrudit partes humidas,vt oleum roſaceum altius penetrat, quàm oleum commune ex oliuis expreſſum. Ex ſiccis,illa magis penetrant,quæ facile comminuuntur á natiuo calore, ſequuntur enim naturam calidorum. Ideo ex generibus terrarum, bolus armena penetrat,nec ſtypſis, quam habet mediocrem,impedit penetrationem,immo adiuuat,& promouet partes tenues. Obid in febre peſtilenti mihi magnopere probatur, & qui improbant, parum attendunt,qualis ſit natura boli ar-


menæ. At contradixerit quiſpiam: medicamenta, quæ penetrant ad locum internum, aut amittunt ſuas vires agendi in via, & in longo circunductu partium, aut adaugent. Si adaugent, certè temperamentum loci affecti naturale mutabũt in alienum, & abolebunt, ſin amittunt, non profectò alterabunt. Reſpõdemus, vires integras, nec amitti, nec ſolui, ſed conſeruari, & ideo, vt illas conſeruẽt, nos tantùm adaugemus molem, quantum cõiectamus poſſe illis decedere in tota via. Age, renes à ſuo temperamento recedãt ad calidũ per duos gradus ſiue numeros. Nos exhibemus medicamentum refrigerans paulò ſupra duos gradus, quia quod ſuperat duos gradus, id omne iudicamus deceſſurum in tranſitu per vẽtriculum, per inteſtina, per venas meſenterii, per hepar, id aũt facere ſtudemus, vt poſtquã ad renes penetrauerit, facultatẽ


refrigerandi seruet vsque ad duos gradus. Ponamus duas vncias aquæ boraginis habere facultatem refrigerandi vsque ad duos gradus, nos tunc propinabimus tres vncias, quia paulò supra duos refrigerant, & illum excessum amittunt in via. Ideo vbi peruenerint vsque ad renes, refrigerabunt in duobus gradibus, id quod desiderabamus & facere studebamus. Iam verò ad cutim applicabimus, quod supra duos gradus vix excedat, quia breuior est transitus ad renes. Proinde minus detrahitur medicamento de viribus. Nam, si nos certò sciremus penetraturum medicamentum ad locum affectum seruata integritate suarum virium, tunc non esset, cur adaugeremus eius molem siue pondus. At præscribere certam & definitam molem, & definitam quantitatem, solus Deus


poteſt. Medicus verò ſola prudentia, & iudicio aſſequitur, indicatione ſumpta, tum à temperamento loci affecti, tum à ſitu, tum etiam à facultate medicamenti, quod exhibemus, vt penetret ad locum affectum.


FINIS.











compl.
pag 83-40
[illegible]

p—

341 ohs.

